



# Specimen historicum et exegeticum de oraculo in Moabitas, quod occurrit Jesaiae c. XV et XVI

<https://hdl.handle.net/1874/312631>

SPECIMEN HISTORICUM ET EXEGETICUM

DE

# ORACULO IN MOABITAS,

QUOD OCCURRIT JESAIÆ C. XV ET XVI.

ОРИГИНАЛЫ ИЗ СБОРНИКА  
СТАТЬЕЙ ПО ИСТОРИИ

СТАТИСТИКИ И ГИДРОЛОГИИ

СОВМЕСТНОГО ИССЛЕДОВАНИЯ

SPECIMEN HISTORICUM ET EXEGETICUM

DE

# ORACULO IN MOABITAS,

QUOD OCCURRIT JESAIÆ C. XV ET XVI,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

## JACOBI VAN HALL,

ORD. LEON. NEDERL. EQUITIS, ORD. CORON. QUERN. DECURIONIS,  
JURIS ROMANI ET HODIERNI DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

## Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

## LUDOVICUS DE GEER,

Rheno-Trajectinus.

A. D. XXI M. JUNII ANNI MDCCCLV, HORA I.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD KEMINK ET FILIUM, TYPOGR.

MDCCCLV.



PARENTIBUS  
OPTIMIS CARISSIMIS

SACRUM.

СИГРИДАЧ

СИГРИДАЧ ОБРАЗОВАНИЕ

---

## PRAEFATIO.

---

Vita mea academica fere peracta, specimen exhibere volui, quo studia mea probare, gradumque doctoralem mihi acquirere possem. Sed doctrina Theologica tam late patet, viresque tam exiguae in juvene esse solent, ut admodum difficile sit, certum eligere argumentum, cui haud sine fructu operam navare quodque simul pro virium tenuitate satis commode tractare possis. Sacri Codicis vero interpretatio locum suum procul dubio praeclare obtinet inter gravissima eademque utilissima theologi studia, et merito principium habetur, e quo omnis doctrina theologica exire, quo identidem reverti debet. Quid mirum, eum, qui in theologorum ordinem accipi cupiat, hanc in partem sua studia convertere, atque in interpretando uno alterove sacrorum librorum loco, vires suas periclitare. Duplex mihi esse videtur causa, quare tale disputationis argumentum prae ceteris eligendum sit, quarum prior, eaque gravissima, quam jam attigi, posita est in argumenti natura, quippe quod, ut in Theologiae exstat vestibulo, ita in theologi primis laboribus merito censeatur; alteram peto e minori, qua tale argumentum premitur, difficultate. Magna enim interpretum caterva nobis facem praefert, et ad nostram sententiam sive illustrandam, sive ab objectionibus defendendam,

*ex aliorum observationum copia optime saepe proficere possumus. Post non ita multas igitur dubitationes ad exege-  
sin me converti; diutius vero haesi in peculiari quadam  
parte eligenda. Huc illuc saepe commoto, tandem Jesaiae  
Capita XV et XVI mihi arriserunt. Sublimis ille Propheta  
dignus semper manet, quem accurate legamus, cuiusque probe  
teneamus sententiam, nostra in primis aetate, qua tantopere  
viri docti in eo explicando differunt. Quid suavius esse po-  
test, quam ipsum Prophetarum, quorum vaticinia vetus Tes-  
tamentum continet, principem, propria, qua usus est, lingua  
attente legere, in peculiarem ejus characterem consulto inqui-  
rere, summas ejus virtutes poeseosque dotes admirari? Quam  
ergo doleo, non semper ita strenue, ut quidem volueram, me  
hisce studiis operam meam dicasse, aut dicare potuisse. Nunc  
saltem semel hoc faciendum putavi, non metuens fore, ut un-  
quam operaे me poeniteat, ejusmodi argumento impensaе, quin  
potius, tali e labore fructus uberrimos in futura mea studia  
redundaturos esse, persuasum mihi habens. Laetus ergo  
pensum suscepit, laetus idem peregi, tua in primis opera  
usus, Promotor aestumatissime, Vir Clar. VINKE! cuius in  
me bene merita publice profiteri pietas, ac vero animus jubet.  
Tu per totum curriculum meum academicum mihi affuisti, Tu,  
his praesertim diebus, praeclara maximaque mihi praestitisti  
officia. Libere te adire mihi licuit, neque unquam a Te rece-  
debam, quin difficultate aut onere me levatum sentirem. Multis  
etsi laboribus obrutus, mecum, quoties ad Te accederem,  
colloqui voluisti, et laborem meum Tu egregie adjuvisti. Ac-  
cipias ergo velim, Vir Clar., grati mei animi testificationem,  
pro benevolentia tua ac comitate. Deus O. M. Tibi adesse  
ne desinat, et incolumem Te diu conservet in hujus Acad-  
mie, totiusque Ecclesiae salutem!*

*Et Tibi eadem dicta velim, Vir Clar. BOUMAN! Tibi quoque  
gratias ago quam maximas pro institutione Tua, qua per tres  
hos annos usus sum, pro auxilio, quod mihi saepe pre-*

*buisti, pro humanitate, qua ad hunc usque diem me prosecutus es. Utinam Deus O. M. vitae Tuae multos adhuc addat annos, valetudinem Tuam nuper etiam affectam, confirmet et jam magis magisque senescenti Tibi adsit, ut huc usque Eum Tibi affuisse gaudemus, neque unquam corporis doloribus Te prohiberi sinat, quominus ad vitae usque finem, ita prodesse possis Theologiae studiosae juventuti, ut Ipse in votis habes ac deliciis.*

*Tertius, cui devinctum meum animum publice profiteri vellem ROYAARDSIUS, Vir Clariss., diem supremum eheu! jam obiit. Quiescat in pace post multos magnosque labores studiis dicator, Vir desideratissimus, cuius mors gravi omnes bonos affecit dolore, cuius merita nulla unquam dies delebit. Te interea, Vir Clar. ter HAAR! qui in defuncti locum successisti, nunc quoque compellare liceat. Institutione Tua uti mihi non contigit, attamen Tibi innotui, et jam saepius expertus sum ex animi sententia Te dixisse, quum in votis hoc Te habere professus sis, ut non praceptor tantum, sed amicus etiam esses discipulorum. Divino auxilio adjutus, cathedram Tibi commissam diu ornare pergas!*

*Nec Te praetermittere volo, Cl. OPZOOMER! cuius egregia institutione frui mihi contigisse, nunquam non gratus recordabor.*

*Jam ad Vos venio, Parentes Carissimi! Quorum laudes praedicare multum est, quorum in me bene merita si mecum reproto, plenior gratitudinis sensus, quam qui verbis exprimi possit, animum opplet. Optimi mihi fuistis duces per puerilem juvenilemque aetatem, praestantissimae nostrae religionis sensu animum meum imbuere studiistis, praeclarisque vestris monitis ad quaecunque bona me adhortati estis, a malis me devocastis. Ad Vos saepe accurri in dubitationibus meis ac turbationibus, Vos semper animum pacastis. Putri caelesti gratias agere non desinam, qui tales mihi comparaverit parentes! Nec vero in posterum mihi deesse velitis; — vestro adhuc auxilio, vestra adhortatione, vestris*

monitis opus mihi erit, — quod puero juvenique fuit utilissimum, virilem aetatem ingrediunti mihi inutile esse nequit. Deus O. M. incolumes Vos esse jubeat ac salvos per longam adhuc annorum seriem, et Ipse mercedem vobis tribuat, Parentes devinctissimi! educationis, quam filius nec debita gratia referre, nec quidem verbis satis apte praedicare valet.

Quid vero dicam de singulari illa, quae mihi contigit, felicitate, quod Te quoque, Frater dilectissime! vitae meae studiorumque ducem habuerim. Illud, quod natura inter nos posuit, vinculum multae eademque graves causae arctius profecto reddiderunt. Proiectior aetas, summa doctrinæ præstantia, animi indoles, ingenii dotes talem Te mihi reddiderunt fratrem, quali meliorem haud facile quis habeat! Haec certe laus Tibi debetur et a me gratia major. Te, ut ita mihi adesse pergas, eniae rogo, Deum, ne Tibi unquam desit, ex animo precor.

Quod superest, Amici commilitones! serius ociosus omnes aliam nostram Matrem relinquimus, ad publicam vitam inchoandam. Nunc jam equidem non amplius inter vos præsens adero, hoc vero probe teneatis velim, memoriam vestri nulla unquam dies delere valebit. Saepe horas illas recolere lubebit, Amici! quas inter vos jucunde atque utiliter simul peregi; multum vobis debo, quod grato animo ad vitae usque finem recordabor. Amicitiae illud, quod nos tenuit, vinculum, ne unquam solvi putemus, Vos, ne me oblivioni tradatis fore spero, imo laetus confido. Valete et feliciter vivite!

Dabam TRAJECTI AD RHENUM,  
die 21 mensis Junii 1855.

CONTINENS TIT. MOABITICOS HISTORICOS ET HISTORIAS

MOABITICAS ANTIQUARIAE ET HISTORICAE

AD INGENIOSIS ET CULTIVATISSIMIS HISTORIIS

HISTORIIS ET HISTORICIS ET HISTORICO-CRITICALIS

ET HISTORICO-CRITICALIS ET HISTORICO-CRITICALIS

**CONSPECTUS.**

CONTINENS HISTORIAS

Pag.

INTROITUS . . . . .	1.
---------------------	----

**CAPUT I.**

## DE HISTORIA MOABITARUM.

§ 1. Terra Moabitum, eius termini, historia antiquissima. . . . .	5.
§ 2. Balak et cultus Baäl-Peoris. . . . .	7.
§ 3. Invasio Moabitum. . . . .	10.
§ 4. Bella Sauli et Davidis. . . . .	13.
§ 5. Bella cum regibus Israëlitis gesta. . . . .	15.
§ 6. Bella deinde cum regibus Israëlis et Judae gesta. . . . .	18.
§ 7. Invasio Salmanasseri et Sanheribi. . . . .	21.

**CAPUT II.**

## DE AUCTORE VATICINII IN MOABITAS, CAPP. XV, XVI.

§ 1. Diversae recentiorum opiniones. . . . .	24.
§ 2. Quibus argumentis juniori Prophetae hoc oraculum sit adscriptum. .	26.
§ 3. Huius opinionis epierisis. . . . .	27.
§ 4. De argumentis, quibus usi sunt, qui antiquiori Prophetae vaticinum adscriperunt. . . . .	29.
§ 5. Hitzigii de Jona auctore sententia. . . . .	31.
§ 6. Antiquiori scriptori an recte vindicetur hoc oraculum. . . . .	33.
§ 7. Quid Hitzigii opinioni opponi possit. . . . .	35.

## CAPUT III.

QUAERITUR, AD QUAM AETATEM ORACULUM SIT REFERENDUM.

	Pag.
§ 1. Diversae interpretum sententiae. . . . .	38.
§ 2. Universi oraculi conspectus et descriptio.. . . . .	40.
§ 3. Quid de aetate ex ipso oraculo effici possit. . . . .	42.
§ 4. Quo nos ista vestigia ducant, ostenditur. . . . .	44.
§ 5. De loco, quo hoc oraculum sit positum in collectione vaticiniorum Jesaiæ. . . . .	47.

## CAPUT IV.

ORACULI EXPLICATIO.

§ 1. Versio. . . . .	49.
§ 2. De locis, in hoc oraculo nominatis. . . . .	51.
§ 3. Ipsa oraculi explicatio. . . . .	58.

## INTROITUS.

---

Inter Prophetas V. T. facile princeps est Jesaias, filius Amozi, qui, inde a morte Uzziae munere suo functus, in primis temporibus regis Hiskiae floruisse videtur. In quo viro nescias, quid prius admireris, animi ingeniique dotes, quibus praeditus fuit, an elegantiam dictionis et poeticam facultatem, an denique sublimitatem et veritatem eorum, quae, Deo jubente et revelante, orationibus et scriptis suis tradiderit. De eius vita quae nobis tradita sunt, alii, ut Hitzig, Gesenius, Hävernick, collegerunt; nos, partem ex eius scriptis explicaturi, haec potius statim considerare volumus, ut ad nos pervenerunt collecta et ordinata. In illa enim collectione, ut videtur ab ipso scriptore instituta, certum servari ordinem, nemo non videt. Qui quidem ordo cum ipsa populi Israëlitici historia et destinatione aliarumque gentium ratione, qualis illa a Prophetis proponitur, arctissime cohaeret. Hoc enim sibi et alii et Jesaias propositum habebant, ut populo, quem Deus sibi ex omnibus gentibus elegit, qui illi esset

dicatus, in quo ipse habitaret, cui se patefaceret, gravem Dei iram, gravesque poenas denuntiarent, ob multa variaque peccata, quibus se inquinaverant Israëlitae, prae- cipue vero ob defectionem a veri Dei cultu et turpem idololatriam, ad quam perpetuo se abduci sinebant. Quoties nova calamitas, irae divinae testis, ingrueret, hostes terram Israëlitarum invaderent et vastarent, poenam di- vinam inferentes, Prophetae simul populo peccata et de- fectionem exprobrabant. Tum in primis suis sermonibus eos ad Deum suum revocare, ad peccatorum conscientiam, ad poenitentiam eos excitare conabantur, graviora etiam denuntiantes Dei iudicia, si eadem viâ pergerent. Sic causam monstrabant, quare Deus populum suum ab aliis gentibus, instrumentis irae suae, vastari permetteret, tan- demque ventura esset exitiosa illa dies irae, qua ex terra sua exsules inter alias gentes procul dispergerentur, qui ex populo superfuturi essent.

Sed in illa summa calamitate describenda minime subsis- tunt Prophetae. Populi enim peccata et perpetua defectio Dei foedus frangere non poterant. Venturus erat ille dies, quo redirent in suam patriam, quo veniret ille rex, ille sur- culus ex Davidis stirpe, qui regnum restitueret, suumque populum regeret. Hac spe et exspectatione animos reficie- bant eorum, qui spem suam et fidem in Deo posuerant. Et haec Israëlis restitutio et instauratio simul erat futura victoria de populi inimicis et hostibus. Tum poena divina iis imminebat gentibus, qui Dei populum vexaverant; tum omnes apud hunc refugium quaererent eique aut subjice- rentur, aut cum eo se conjungerent. Hanc exspectatio- nem etiam apud Jesajam invenimus, qui cap. X et XI

pulcherrima sane oratione exponit de populi vitiis et peccatis, quorum poenam exacturi nunc imminent quidem Assyrii, virga irae Dei et baculus, sed qui superbia elati et gloriantes stulte suis viribus, mox ipsi, consilium divinum exsequuti, poenam dabunt et peribunt, cum restituetur residuum Israëlis, et veniet is, qui judicabit justitiâ pauperes, et juste causam aget inopum terrae et percutiet terram baculo oris sui et spiritu labiorum suorum interficiet improbos. Tum certe dici poterit: jubilate, incolae Sion, nam magnus inter vos sacer Israëlis.

His nunc propterea statim subjunguntur oracula in diversas gentes, quae interitum et exitum iis minantur, qui aliquando populo Dei infesti extiterant. Omnes enim illi populi, quos deinde ex ordine Jesaias alloquitur, Dei quidem judicia in Israëlem exequi debuerant, sed quatenus sponte et superbe fecerant, sibi quoque gravissimam Dei iram conciliaverant. Primum urbs Babel a Propheta nominatur c. XIII—XIV : 27, quae sedes imperii erat Chaldaeorum, qui successores Assyriorum, Israëlitarum acerrimi hostes, perfecturi erant, quod hi inceperant, nec tamen aufugere horum poenam poterunt, eodem modo interituri. Tum sequuntur populi Judaeis finitimi, sed qui omni fere aevo horum hostes et obtrectatores extiterant, Philistaei c. XIV: 28—32, Moabitae c. XV—XVI, Syri Damasceni et Ephraim c. XVII. Denique etiam longinquos et dissitos sua poenae divinae comminatione complectitur Propheta, Cus c. XVIII et Aegyptum c. XIX, ut deinceps totum terrarum orbem Dei judicium non aufugere posse declareret; cum tandem capp. XXIV—XXVII epilogum quasi constituant, quo Jesaias ad Judam redit, qui populus Dei

iram ob fractam fidem in primis patietur, qui frangetur et diminuetur quoque, sed tandem inter omnes gentes, solius Dei auxilio et cura, restituetur et dominabitur<sup>1)</sup>.

Attamen ab altera parte vix dubium esse potest, quin hae orationes, quas certo ita consilio dispositas invenimus, diversis temporibus a Propheta habitae fuerint, cum rerum opportunitas eo duceret. Habent enim omnes varia historicæ quasi suæ originis indicia, quibus ducti probabiliter etiamnunc indicare possimus, quando et quare ita locutus fuerit Propheta, et, licet una serie sint conjunctæ, separatim possunt etiam considerari et tractari. Cuius rei periculum facturi sumus in illa parte, qua de Moabitis agitur, c. XV—XVI, de quo loco diversæ admodum prolatae sunt ab eruditis opiniones, quas colligere et inter se conferre pro viribus conabimur; ita quidem ut in primis ex historia colligamus, quae locum hunc illustrare queant, et varia eius historicæ indicia animadvertisamus, ut sic aetatem hujus oraculi accuratius definire jam possimus; tum quae ad hanc orationem illustrandam faciant conquiramus.

---

1) Cf. DRECHSLER, *Jes.* II. I. p. 1.

## C A P U T I.

DE HISTORIA MOABITARUM<sup>1)</sup>.

### § 1.

*Terra Moabitarum, eius termini, historia antiquissima.*

Terra Moabitarum ad orientem Jordanis sita fuit, eamque antiquissimis temporibus tenuerunt Emin, Deut. II : 10, qui eiusdem stirpis erant ac Enaquim, et cum his communis Refaitorum nomine ab Hebreis comprehendebantur. Populus longa statura, magnis viribus, et virtute insignis, qui aliquando meridionales Palaestinae partes et regiones trans Jordanem incoluerat, sed dudum ante Mosem jam ab aliis gentibus Canaenitidis et a Philistaeis et Moabitis victus et pulsus fuerat, ita ut tum in Palaestinae tractibus meridionalibns tantum vestigia quaedam superessent, trans Jordanem vero regnum Basani regem adhuc haberet Ogum, Refaitum, Deut. III : 11<sup>2)</sup>). Attamen tempore

1) Cf. CALMET, Oudh. d. O. V. IV. 618 sqq. VENEMA, Hist. Eccl. I. 491. 578. 1094. VAN DER PALM, Jesaïas vert. en opgeh. I. 379 sqq.

2) Cf. BERTHEAU, Zur Gesch. der Israelit. p. 140 sqq. EWALD, Gesch.

Abrahami certe adhuc latius ibi eorum patebat imperium, terramque postea Moabiticam tum Emim adhuc tenebant, Gen. XIV: 5. — Postea Moabitae omnem tractum trans Jordanem, qui ex adverso Jerichuntis usque ad maris mortui littus orientale protenditur, occuparunt, unde planities illa, in qua fuit ultima Israliētarum mansio, antequam Jordanem transierunt, ad septentrionem Arnonis, postea etiam מִזְבֵּחַ מוֹאָב עֲרָבֹת מִזְבֵּחַ, campestria Moab dicebatur, Num. XXII: 1. Deut. XXIX: 1 et XXXII: 49, ubi mons Nebo quoque dicitur esse in terra Moab, licet ea regio Moabitis fuerit deinde erepta ab Amoraeis. Nimirum jam ante Israēlitarum adventum, Sihon, rex Amoraeorum, omnem regionem ad septentrionem Arnonis sitam suo regno adjunxerat, Num. XXI: 26. Sic factum, ut Israēlitae, ibi castra habuisse, nec tamen terram Moabitum ingressi esse dicantur, Deut. II: 9. Jud. XI: 15, 20 eaque regio deinde ad Israelitas pertinuerit<sup>1)</sup>. Arnon enim ab eo inde tempore terminus Moabitum a septentrione fuit, prouti Jordanus ab occidente, cum a meridie mari mortuo, ab Oriente deserto, quod desertum Moab dicebatur, eorum regio includeretur. Hinc Arnon semper terminus Moabitum dicitur<sup>2)</sup>, quamquam postea eos denuo ultra Arnonem fines suos protulisse, docet Jes. XV et Jerem. XLVIII. Caeterum eorum terra vitae pastoriae in primis apta fuisse dicitur, unde Judaei optimos

d. Volk. Israel. I. p. 275. WINER, Real-Lex. v. Rephaim. TUCH, Comm. d. Genesis, p. 311.

1) Num. XXI: 25, quod perperam negavit GESENIUS in Comm. ad cap. 15 et 16 histor.

2) FL. JOSEPH. Antiq. IV. 5. RELAND, Palaest. p. 101.

arietes inde ad sacrificia templi venisse narrant<sup>1)</sup>, vallisibus et montibus constans, ubi et vinum et olivae et frumentum colebantur, Ruth I:1. 2 Regum III:4.

De gentis Moabiticae origine servavit nobis narrationem Moses, Genes. XIX:30, quam multi ex odio explicant, quo Israëlitae Moabitas habuerunt<sup>2)</sup>). Ex hac tamen narratione explicandum ab una parte, quare Israëli nec per terram huius gentis transire, nec eius regionem occupare licuerit, Deut. II:9. Jud. XI:15, 18. cum cognata es- set, ex eadem stirpe oriunda; ab altera parte, quare Moabitae, ut et Ammonitae in aeternum in concionem Israëlitarum venire non potuerint, idque quidem eo magis quia, licet cognati, suae cognitionis obliti, non benevolenter Israëlitas exceperint, sed quaevis mala iis imprecari voluerint, Deut. XXIII:4, 5. De gentis antiquissima historia pauca admodum nota sunt. Vivebant sub regibus et, brevi ante Israëlitarum adventum, Sihon eos aggressus fuerat et vicerat<sup>3)</sup>, arctius vero cum Midianitis conjuncti fuisse videntur, qui a meridie ipsorum versabantur, Num. XXII:4.

## § 2.

*Balak et cultus Baäl-Peoris<sup>4)</sup>.*

Licet Israëlitae Moabitas aggressi non essent, hi gra-

1) RELAND, l.l. p. 91.

2) VON BOHLE, *Die Genesis*, p. 215. TUCH, p. 370 alii. Contra tamen BAUMGARTEN, *Theol. Comm.* I. p. 216, DELITSCH, alii.

3) Num. XXI:26 ubi de gravitate huius clavis traditur.

4) CALMET, OUDH. II. 41 sqq.

viter metuebant eorum adventum, in primis postquam Amoraeos vicerant, quorum vires nuper admodum experti fuisse videntur. Balak, filius Zipporis, tum Moabitarum rex erat, qui, convocatis senioribus populi sui, consilium iniit cum senioribus Midianitarum, qua optime ratione fines a communi hoste tuerentur. Communi consilio tum miserunt ad Bileamum, qui in Aramaea ad Euphratem celebris tum vates erat, cuius fama ad Moabitas, sine dubio per mercatores, pervenerat, ut hic mala omnia Israëlitis imprecaretur; quod tamen, ut notum est, prorsus aliter evenit, nam Bileam, coactus dicere quae Deus illum jusserset, Israëlitis benedixit, Num. XXII—XXIV.

De hoc viro eiusque vaticiniis hoc loco nobis non est dicendum<sup>1)</sup>, hoc tantum animadvertisimus, jam tum floruisse Ar-Moab sive Rabbath-Moab, quae postea Areopolis dicta fuit<sup>2)</sup>, ad Arnonem sita, quo loco ex Aramaea via ducebat per Moabitarum terram, ubi Balak obviam ivit Bileamo, quae igitur tum sedes regni non fuit<sup>3)</sup>, Num. XXII:36. Hinc Balak ivit ad aliam urbem, קְרִית חֶצּוֹת, quae alibi non memoratur, sed quae etiam in ultimos fines septentrionales sita fuisse debet, et a qua non longe aberant, בָּמֹות בַּעַל, colles Baälis, trans Arnonem sitae, quas nuper transierant Israëlitae, Num. XXI:19, 20 et quae postea Rubenitis fuerunt assignatae, Josua XIII:17.

1) Cf. B. R. DE GEER, *de Bileamo*, 1816. EWALD, *Geschichte II*. p. 220. BAUMGARTEN, II. 348. HERZOG, *Real-Encyclop.* II. p. 236.

2) HIERONYM. *Onomast. V. Moab.*

3) RELAND, *Palaest.* p. 577, 957, restituta videtur post cladem a SIHONE acceptam, Num. XXI:28.

Locus erat, ubi sacra facere consueverant Baäli, deo suo, qui igitur in primis aptus erat sacrificiis faciendis et imprecationibus, et unde castra Israëlitarum e longinquo poterant discerni, qui tamen, uti mons Pisga et Peor ad Moabitas proprie non pertinuit<sup>1)</sup>. Post Bileami discessum Israëlitis exitiosus fuit cultus Baäl-Peoris, quem Moabitae et Midianitae communiter in monte Peor celebrasse videntur. Ex iis autem patet, eandem ac ceteras gentes Syriae, Phoeniciae ac Palaestinae habuisse tum religionem Moabitas, cultum Baälis, quem sacrificiis in collibus oblati festisque publicis colebant. Solem fuisse, dominum coelorum, fertilitatis vitaeque in natura auctorem, quem eo nomine antiquissimis temporibus indicabant, haud improbabiliter recentiores putarunt<sup>2)</sup>. Unde vero cognomen acceperit ambiguum est. A monte, quo festa celebrata fuerunt multi derivarunt<sup>3)</sup>; alii פֶּעַז (quod tamen quoque Num. XXXI:16. Jos. XXII:17 montem, non deum potest indicare) nomen proprium dei habentes, illud, praeeuntibus Judaeis, a פְּעַז aperuit derivant, cum puellae in eius cultu pudicitiam prostituerent, quare Hieronymus jam Priapo illum comparavit<sup>4)</sup>, quem sequitur Vitrunga<sup>5)</sup>. Et certe vix negari potest, si quis legat quae Num. XXV reperiuntur, scortationem Israëlitarum cum filiabus Moabi conjunctam fuisse cum sacris Baäl-Peoris, quae Psalmo

1) Ademptus enim iis locus a SIHONE, Num. XXI:28.

2) Cf. MÜLLER in HERZOG's *Real-Encyclop.* I. p. 637, qui alios laudat.

3) GESENIUS in *Thesauro*.

4) HIERONYMUS ad *Hoseam*, IV. 14. IX. 10. Cf. MASIUS ad *Josuam*, p. 234.

5) VITRINGA ad *Jesajam*, p. 463.

CVI:28 **גַּבְעִי מִתְּהִם** vocantur<sup>1)</sup>; tum certe mons nomen a deo ibi culto traxisset. Denique Baäl-Peor proprium quoque numen Moabitarum fuerit, an Midianitarum potius incertum est, quum illi populus Camos audiant, Num. XXI:29 atque **כָּמוֹשׁ** dicatur Moabitarum deus<sup>2</sup> Reg. XXIII:13, iis communis cum Ammonitis, Jud. XI:24. Hinc nonnulli Camos haud diversum a Baäle habuerunt, ut jam Hieronymus, quod tamen vix probabile; potius erat Camos numen aliquod peculiare, quod juxta Baälem coluerint, cuiusque nomen deum bellicum, *victorem* notare videtur<sup>3)</sup>, cum etiam alibi, juxta Baälem, alias deos peculiares inveniamus, a singulis gentibus cultos<sup>4)</sup>. Ceterum poena divina Israëlitas cito attigit, ut ex Num. XXV:4, 9 videmus, eosque ab idolatria<sup>4)</sup> tum quidem revocavit, qua eos perdere Bileamus suaserat, Num. XXXI:16, qui nec ipse sui consilii poenam effugit, Jos. XIII:22.

## § 3.

*Invasio Moabitarum.*

Inter Israëlitas et Moabitas deinde nihil memorabile accidisse videtur, donec illi, devictis Palaestinae incolis, sedes sibi inter eos jam occupaverant. Vix enim quietem

1) Unde SELDENUS de sacrificiis inferis diis factis cogitandum esse putat. Cf. CREUZER *Symbolik* II. p. 85.

2) GESENIUS, *Thesaur.* i. v.

3) Baäl-Peor nomen dedit urbi Beth-Peor, Deut. IV:36. Jos. XIII:20. in viciniis sitae.

4) Poenam de morbo epidemico ex abusu veneris orio explicat ROSENBAUM, *die Lustseuche im Alterthum*, p. 74—84.

nactos commercium cum gentibus devictis iisque, quae remanserant, corrupti et a veri Dei cultu ad idololatriam pellexit. Mox incursionibus hostilibus terra eorum vastata fuit, primum quidem eorum populorum, qui, duce Kuschan-Rischataim, ex Mesopotamia advenientes eam depopulati sunt, et tandem ab Othnièle victi fuere; deinde vero Moabitarum, Jud. III : 12. Nimirum Moabitae interea viribus aucti se conjunixerunt cum Ammonitis et Amalecitis, acerrimis Israëlitarum hostibus, qui finitimas regiones tenebant. Amalecitae enim, licet ex stirpe Esavi progeniti dicantur, Gen. XXXVI : 12, 16, jam Israëlitas adorti erant, primum in deserto apud Raphidim, Exod. XVII : 8, deinde cum a meridie ad terram Canaäniticam appropinquarent, Num. XIV : 39, quare perpetuum iis bellum indictum fuit, Exod. XVII : 16. Deut. XXV : 17<sup>1</sup>). Ammonitae vero, eiusdem ac Moabitae stirpis, eundem כְּנָזֶב venerantes, odio etiam in Israëlitas eodem ducebantur. Hi nunc conjuncti invaserunt meridionalem partem Palaestinae, duce rege Moabitarum Eglone, ita ut non tantum denuo campestria Moab occuparent, sed Jordanem transgressi, Jerichuntem etiam et loca circumiacentia sibi subjicerent, sedemque imperii hanc ipsam urbem facerent. Vix enim dubium, quin per urbem palmarum regio Jerichuntis designetur<sup>2</sup>), ubi Eglon versabatur, ut probabiliter conjicitur, cum ab Ehude interficeretur. Gravem fuisse Israëlitis hanc Moabitarum dominationem, ipse scriptor indicat, cum Israëlitas clamasse

1) EWALD, *Geschichte* cett. I. p. 297.

2) BERTHEAU, *das Buch der Richter*, p. 69, 70. STÜDER, *das Buch der Richter*, p. 79.

dicat ad Deum, qui iis suscitarit liberatorem ex Benjaminitis Ehudem, postquam per XVIII annos hostibus subjecti fuerant. Cum enim Eglon interfectus esset, subito, duce Ehude, Israëlitae surrexerunt et statim occuparunt loca, quibus Jordanes transiri posset in viciniis Jerichuntis, ut ita Moabitis redditum paecluderent, Jud. III: 28. Illi, improvisa aggressione perterriti et perturbati, rege suo orbati, frustra aufugere conabantur, et sic decem millia ceciderunt ex principibus et fortissimis viris. Hac igitur clade denuo ita fractae fuere Moabitarum vires, „ut non ausi sint,” monente Schmidtio, „amplius caput suum adversus hos erigere, bellumque contra eos movere, sed potius Israëlitas timuerint, et contenti fuerint, ut in sua terra sibi quietis esse liceret.” Illi vero, quos interfecerunt, videntur fuisse non milites, sed potius incolae, qui ex Moabitide in terra Israëlitarum agros optimos occupaverant, indeque laute viventes sibique divitias quaerentes, victos opprimebant, suo arbitrio administrabant justitiam omniaque agebant. Tale quid enim indicare videntur verba: **אִישׁ כָּל־שָׂמֵן וְכָל־אִישׁ חַיל** Jud. III: 29; milites enim et praesidia vix habebant Moabitae eo tempore. Deinde rursus, quamdui judices Israëlitis praefuerunt, Moabitae intra suos fines manserunt, neque de bellis cum Israëlitis gestis aliquid traditur. Potius ea, quae libro Ruthae narrantur, sive ea accidisse putas, quo tempore Gideon Israëlem a Philistaeis liberavit<sup>1)</sup> sive referas ad tempora, brevi ante Samuelem elapsa<sup>2)</sup>, ostendunt tunc inter Mo-

1) HENGSTENBERG, *Authentie des Pent.* II. p. 111.

2) BERTHEAU, l. l. p. 234. Alii adeo ad EHUDI tempora retulerunt, vid. ROSENMÜLLER, *Scholia ad l.* p. 435.

bitas et Israëlitas pacem et mutuum exstitisse commercium, adeo ut ex Bethlehemo Elimelech ad terram Moabitarum secederet, ibi mansurus, quamdiu fames patriam premeret. Imo duo eius filii ibi ex Moabitis uxores sumserunt, quarum una, Rutha, exemplum amoris ac pietatis nobis exhibuit egregium, dignaque habita est, ut Davidis fieret proavia<sup>1)</sup>.

## § 4.

*Bella Sauli et Davidis.*

Tempore Sauli regiones transjordanenses invaserunt denuo ét Ammonitae, ét aliae gentes, inter quas fortasse etiam Moabitae fuerunt, optimos hos et fertilissimos tractus Israëlitis eo facilius se erepturos ratae, quo crebrius Philistaei ab occidente Israëlitas incursionibus lacererent. Statim enim, postquam Saulus regnum adeptus fuerat, Ammonitas, qui Jabesch urbem obsidebant, devicit, 1 Sam. XI. quorum rex Nachas majora mente gerens magnum metum Israëlitis incusserat, 1 Sam. XII:12. et, quamquam sola cum Philistaeis gesta bella nobis accuratius sint narrata, deinde tamen denuo Saulus contra hostes trans Jordanem se convertisse videtur; sic enim legimus: „Saulus pugnavit per circuitum contra omnes hostes suos, contra Moabum et contra filios Ammonis et contra Edomum, — et percussit Amalecitas, et eripuit Israëlem e manu eum depraedantis,” 1 Sam. XIV:47, 48. de quo ultimo bello sequitur narratio c. XV. Hinc intelligimus,

1) Cf. EWALD, *Geschichte Israels* I. p. 200. p. 313.

quare Davides, metuens Sauli persecutionem, parentes suos ad Moabitas duxerit et a rege petierit, ut ibi manere iis liceret; dum iis rex Saulus infensus erat; cognati nempe erant cum Moabitis per Rutham, 1 Sam. XXII : 3, 4. Ipse Davides vero deinde, cum rex Israëlitarum factus esset, longe lateque fines imperii sui protulit, ita ut omnes populos circumiacentes sibi subjecerit, et in his quoque Moabitas, 2 Sam. VIII : 2. Qua in re duo in primis difficultatem habent. *Prius* hoc, quae huius belli causa fuerit? Interfecisse enim Moabitas parentes Davidis falsa conjectura est Rabbinorum, quae refellitur illis, quae leguntur 1 Sam. XXII : 4, docentibus, ipsos in Moabitide mansisse, omnibus diebus, quibus Davides fuit in loco munito, postea igitur inde redierunt. Novissime Ewald<sup>1)</sup> putavit, Moabitis se mancipasse Isboschetum, filium Sauli, conditionibus, quibus stare Davides noluerit, inde graves inimicitias ortas, ut Israëlitae tam gravem diramque poenam de Moabitis sumserint. Haec vero ipsa poena *alteram* difficultatem facit. Legimus enim **וַיָּמֶרְתֶּם**  
**בְּחִכְלֵל הַשְׁכֵב אֹתֶם אֶרְצָה וַיָּמֶרְתֶּם שְׁנִי-חִכְלִים לְהַמִּית וּמְלָא**  
**הַחִכְלֵל לְהַחֲיוֹת**, de quibus verbis variae sunt opiniones. Nonnulli intelligunt ita, ut significant, Davidem duas partes regionis, nempe montosas, occupasse et incolas prohibuisse, quominus in montibus habitarent, sed iis planitiem ad habitandum concessisse, ne possent rebellare, vel Davidem non pepercisse regionibus montosis, sed quidem plani tiei<sup>2)</sup>. Alii eum ita viciisse Moabitas, ut longe major pars

1) *Geschichte Isr.* II. p. 613.

2) Vid. SCHMIDT, *ad libr. Sam.* II. p. 389, 399.

exercitus eorum in proelio occubuerit; recentiores denique fere eam sequuntur sententiam, ut Davides captivos, quos fecerit, humi prosterni juberet prostratosque fune fuerit dimensus, ita ut duas partes interficerit, uni parti vitam concesserit<sup>1)</sup>. Quam sane poenam gravissimam Ewaldus ita exactam putat, ut equis et aratro corpora diserpta fuerint. Quidquid est, de isto bello nihil praeterea nobis notum est, nisi duos heroas a Benaja fuisse occisos, 2 Sam. XXIII: 20, 1 Chron. XI: 22, sive filii regis fuerint<sup>2)</sup>, sive fratres fortitudine insignes<sup>3)</sup>, sive filii Ariëlis Moabitae<sup>4)</sup>. Effectum ita fuit, ut Moabitae plane subjicerentur Davidi, illi tributum ferre coacti, cf. 1 Chron. XVIII: 2. quod verosimiliter constitit pecudibus, 2 Reg. III: 4, quibus regio abundabat. Hoc non tantum, regnante Davide, sed etiam quamdiu Salomo regno Israëlitico praefuerit, durasse videtur. Et certe tum vix Moabitae defectionem moliri poterant, quo tempore maxime florebat Israëlitarum imperium, omnesque undique circumiacentes gentes aut illis subjectae erant, aut eorum amicitiam et societatem expectebant.

### § 5.

#### *Bella cum regibus Israëlis gesta.*

Moabitae post regni Israëlitici divisionem regibus Israëlis tributum tulisse videntur, an tamen perpetuo solverint,

1) EWALD, *Gesch.* II. p. 613. THENIUS, *Die Bücher Samuels*, p. 160.

2) EWALD l. l. p. 604.

3) JOSEPHUS *Antiq.* VII. 12. 4.

4) THENIUS, l. l. p. 251.

non traditur. De iis denuo tandem mentio fit, ubi, auctis viribus, regnum Judaicum invaserint, conjuncti cum Ammonitis et Edomitis, 2 Chron. XX: 23. A meridie illi tam gravem incursionem fecerunt, ut Josaphat, totusque populus summo terrore affecti, a Deo auxilium peterent; sibi enim proposuisse videntur Israëlitarum terram occupare eosque expellere, atque ex improviso eos aggredientes, cum, mare mortuum circumeuntes, per Idumaeam venirent, jam ad Engedi, haud ita procul ab Hierosolyma penetraverant, antequam Israëlitae iis resistere poterant. Deus vero periculum avertit; inter ipsos aggressores discidium exstitit, ita ut sibi invicem manus inferentes, mutua caede perirent, Israëlitis tantum praedam diripendam relinquenter. Fuerunt, qui hanc narrationem fictam haberent ex iis, quae 2 Reg. III: 4 leguntur<sup>1)</sup>, sed eos a vero aberrasse probarunt alii, in primis Keil, qui accurate rem exposuit<sup>2)</sup> et ad hanc invasionem etiam retulit Psalm. LXXXIII, cum putet in Psalm. XLVIII victoriam id temporis ita facile Dei auxilio reportatam celebrari, de qua re accuratius quaerere non est huius loci. Hoc tamen animadvertisendum, in Psalm. LXXXIII: 9 Assyrios inter socios Moabitarum nominari cum multis aliis gentibus, quae unquam Israëlitis infestae exstiterant, cum in ipsa narratione Chronistae, tantum de Moabitis, Ammonitis et Edomitis sermo fiat, atque vix sit probabile, si omnes, quae in Psalmo memorantur gentes, tum se coniunxerint, huius rei nulla alibi indicia inveniri. Legitur

1) GESENIUS, *Comm. zur Jes.* I. p. 502. GRAMBERG, *die Chronik*, p. 15.

2) *Apologetischer Versuch*, p. 241—249. Cf. MOVERS, *Kritische Unters.* p. 112. — EWALD, *Geschichte III.* p. 191.

quidem **בָּא עַלְיָךְ הַמִּזְרָחָ רַב מַעֲבֵר לִים מִאָרָם**, sed ibi cum Crednero <sup>1)</sup> et Moversio <sup>2)</sup> legendum esse **מִאָדָם** ratio suadet, cum ibi indicetur, hostes a parte orientali maris mortui per Idumaeam venisse. Quapropter potius invasionem ad tres tantum memoratas gentes referrem, Psalmum vero LXXXIII alio spectare putarem. Haec invasio locum habuit, cum adhuc Achab regno Israëlitico praeesset, cladesque tum accepta ita non fregerat Moabitum animos, ut, mortuo Achabo, ab Israële denuo deficerent, tributumque ferre detrectarent, 2 Reg. I : 1. Et erat sane grave hoc tributum, constabat enim centum millibus ovium et centum millibus arietum cum lana, 2 Reg. III : 4, quae quotannis solvere debebant <sup>3)</sup>, unde patet quam ferax ovium tum Moabitum fuerit, quare rex etiam **מִשֻּׁעַ** vocatur **בָּקָר** **אֶפְרַיִם** <sup>4)</sup>; Ahasja vero, qui Achabo successit, Mesam non aggressus est, cum per duos tantum annos regno praesessem. Jehoram autem statim de bello Moabitum inferendo cogitavit, et foedus iniit cum Josaphato, rege Iudee, ut conjunctis viribus communem hostem aggredirentur, quibus se quoque rex Edomitarum adjunxit, qui fortasse inde a mutua caede, qua superior expeditio effectu caruerat, a Moabitum alienatus erat et denuo Iudee factus vasallus. Illi nunc non per Jordanem a septentrione, sed a meridie mare mortuum circumeuntes Moabitas aggredi voluerunt <sup>5)</sup>,

1) *Comm. z. Joël*, p. 48.

2) *Kritisch Unters.* p. 89. EWALD, *Geschichte*, III. p. 189.

3) KEIL, *Comm. über die Bücher d. Kön.* p. 339.

4) GESENIUS, *Thesaur. h. v.*

5) Quare, non additur, fortasse ut ita Moabitidem circumeuntes a tergo invaderent, vid. KEIL I. I. p. 341.

sed fere haec via iis exitiosa exstitisset, cum jam ad fines Moabitarum meridionales appropinquantibus aqua deficeret. Deus vero non tantum iis opem tulit, sed magnam etiam de Moabitis victoriam concessit, ita ut, caeso exercitu, totam terram Moabi vastarent, urbes delerent, agros, arbores, fontes corrumperent et regem tandem cogerent ad Kir-Hareschet aufugere, quae urbs longe munitissima, totius regionis arx, in rupe praerupta sita et muro circumdata, facile capi posse non videbatur. — Cum tamen Mesa vidisset, nec hunc se tueri locum posse, et frustra evadere cum suis conatus fuisset, filium suum<sup>1)</sup> primogenitum, in muro, adspicientibus Israëlitis, sacrificavit deo suo Camos, ab hoc auxilium implorans. Dirum factum, quod certe eum ad summas angustias redactum ostendit, Israëlitasque sua abusos victoria. Hinc plaga, בְּצִדְקָה, quaedam inter eos orta, coēgit discedere<sup>2)</sup>, Moabitasque ab interitu servavit, licet vires tum fractae fuerint. An tamen denuo Israëliticis regibus subjecti, tributum solverint, non legimus.

## § 6.

*Bella deinde cum regibus Israëlis et Judæ gesta.*

Postea tamen denuo Moabitas Israëlitis infestos inventimus, et quidem, cum Syri eos graviter premerent, regnante Joaso, 2 Reg. XIII : 20, ea opportunitate usi sunt,

1) Alii male filium regis Edomi intelligunt, ob Amos, II:1. qui locus huc non referendus.

2) MAURER, *Comment.* I. p. 213. KEIL, p. 347 et jam SCHMIDT, *in libros eg. ann.* p. 175. Minus bene alii vertunt, *ira, odium, indignatio.*

ut regionem depopularentur praedamque inde agerent, sed haud ita diu post Jeroboamus II res Israëlitarum non tantum restituit, 2 Reg. XIV: 25, sed etiam fines regni antiquos integravit. Totam enim regionem transjordanensem, quae antea, tempore Salomonis, 1 Reg. VIII: 65, ad Israëlem pertinuerat, denuo subjicit, usque ad Arnonem, sive mare mortuum. Quod enim, 2 Reg. XIV: 25, dicitur **עַד־נָהָל הַעֲרָבָה עֲדִים** idem significat, ac Amos, VI: 14, usque ad torrentem, sive is Arnon sive alias fuerit, qui in mare mortuum influit. Arnon enim semper terminus exstitit, quo Israëlitarum regio a Moabitarum terra dividebatur. Hanc igitur ipsam non subjicit Jeroboamus, sed omnino, si quos tractus trans Arnonem occupaverant Moabitae, hos iis eripuit<sup>1)</sup>. Sic vere de eo praedicari potuit, eum fines Israëlis restituisse, cum Moabitis ipsa nunquam intra fines Israëliticae regionis fuerit. Praeterea ex Amoso, II: 1 videmus Moabitas tum inter gentes exteris memorari, quibus Propheta ob peccata exitium minatur. Quod autem ibi factum memoratur, eos ossa regis Edomi combussisse, pertinet fortasse ad vindictam, quam de Edomitarum rege sumserunt, qui cum Josaphato contra eos pugnarat, quum postea cum Edomitis se conjunxisse videantur, qui ab Juda defecerant, 2 Reg. VIII: 20; XIV: 7. Regem tamen Moabitae tum vix habuerunt; memorat enim Propheta Sect. 3 tantum **שׁופט** *judicem* et **שָׁרֵךְ** *principes* eorum, et certe clades per Je-

1) HITZIG, *Der Proph. Jes.* p. 184, quem sequuntur CREDNER, *Stud. u. Kritik.*, 1833, p. 785. EWALD, *Gesch.* III. 279, totam Moabitidem a Jeroboamo victam putat, sed revera loci ab eo citati hoc minime demonstrant. Cf. KEIL, I. 1. p. 450.

roboamum accepta vires eorum graviter atterere debuit. Propterea quoque fortasse non memorantur inter eos, qui Uzziae regi Judae tributa ferebant, cum tamen probabilius conjici possit, eos cum Ammonitis et Edomitis huic regi, qui late Judaeorum imperium extendit, quoque tributa tulisse<sup>1)</sup>. Totam enim inter mare mortuum et sinum Arabicum sitam regionem, Uzzias sibi subjecisse videtur; et quae legimus apud Jesaiam, c. XVI:1, Moabitas antea tributum Judaeis solvisse, probant ad haec tempora id optime referri, cf. 2 Chron. XXVI:6—8. XXVII:5. — Ceterum cum Pekach se ab Assyriorum dominatione liberasset sequente cum Rezin rege Syrorum coniunctis, ut conjunctis viribus Judaeos aggredierentur, etiam Edomitas et Philistaeos contra eos excitavit, 2 Reg. XVI:5, 6. 2 Chron. XXVIII:17, 18<sup>2)</sup>). Eo tempore Moabitae quoque, licet non expresse narretur, a Judaeis defecerunt, et cum aliis hostibus se coniunxerunt, ut invisos sibi et semper odiosos Judaeos opprimerent, aut saltem, qui ad eos ex clade accepta<sup>3)</sup> aufugerent, turpiter hostibus traderent. Cum enim Rezin totum tractum Transjordanensem Judaeis eripuissest, Idumaeis Elath redderet, undique hostes in Judaeos excitaret, certe solos Moabitas fidem Judaeis servasse nemo facile contendet<sup>4)</sup>). Achaz vero rex Judae, metu perterritus, quamquam Jesaias severe dissuaserat, nec Deo fidem habens<sup>5)</sup>, auxilium imploravit Tiglat-Pileseris, regis

1) Cf. EWALD, *Geschichte* III. p. 295.

2) Cf. MOVERS, *Krit. Unters.* p. 127.

3) De hac clade 2 Chron. XVIII:5, 6, 17, 18 narrata, vid. KEIL, *Apolog. Vers.* p. 422. *Comm. über die Büch. d. Könige*, p. 475.

4) Cf. EWALD, *Gesch.* III. p. 311.

5) Jes. VII:1.

Assyriorum, qui mox, devicto rege Syrorum, partem septentrionalem regni Israëlitici depopulatus est, incolasque abduxit, 2 Reg. XV: 29. XVI: 9, denique res eo pervenit, ut Achaz, non nisi muneribus et gravi tributo regnum suum conservare potuerit, 2 Chron. XXVIII: 20. 2 Reg. XVI: 12<sup>1)</sup>). Sic Assyriorum foedus Judaeis quoque gravissimum damnum attulit, eosque regi Assyriorum fecit tributarios, qua opportunitate Moabitae aliaeque gentes uti facile potuerunt, ut in libertatem se vindicarent et fines adeo imperii sui proferrent. Videntur enim tum Moabitae loca quaedam etiam trans Arnonem rursus occupasse, quae deinde opibus, mercatura et vini cultura valde floruerunt.

## § 7.

*Invasio Salmanasseri et Sanheribi.*

Sic Israël et Juda tributum Assyriis solvere debuerunt, et utrumque regnum eorum patiebatur imperium. Cum tamen Hoseas imperium Israëlis nactus esset, se liberare studuit, sed Salmanasser rex Assyriorum eum denuo tributarium fecit, 2 Reg. XVII: 3. sibique prorsus subjecit; et cum iterum, fretus Aegyptiorum auxilio<sup>2)</sup>, defecisset, rex Assyriae totum Israëlis regnum subvertit,

1) KEIL, *Apolog. Versuch.* p. 424, EWALD, *Gesch.* III. p. 326, qui tamen regem Assyriae *Hierosolymam* venisse, cum aliis negat.

2) De rege, qui tum Aegypto praefuerit, cf. VITRINGA, ad Jes. XIX. OFFERHAUS, *Specileg.* p. 137. GESEN. *Comm.* I. p. 596. KEIL l.l. p. 487. EWALD, *Gesch.* III. 316.

regemque cum incolis abduxit, 2 Reg. XVII: 4—6<sup>1</sup>). An Salmanasser quoque regnum Judae aggressus fuerit, cum Hiskia tributum negasset, nolim inquirere<sup>2</sup>), sed postea revera Sanherib, contra Aegyptum suscipiens expeditionem, Judaeos quoque ita graviter oppressit, ut rex Hiskia jugum excutere hostibusque resistere conatus sit, et, cum tandem ad summas angustias redactus, Dei auxilium implorasset, Assyrios, qui ad Hierosolymam ipsam jam appropinquarent, una nocte Deus profligavit, 2 Reg. XIX: 35<sup>3</sup>). De Moabitis interea nihil traditur, quos tamen denuo inter hostes Judaeorum memoratos invenimus, 2 Reg. XXIV: 2, quo tempore Nebucadnesar quoque iis imminebat, cui jam tum subjectos eos fuisse, facile credimus<sup>4</sup>). Et certe jam antea id accidisse, quod iis Amos II, et Jesaias, XV, XVI denuntiarant, Dei judicium videtur, licet postea demum ipsa gens interierit. Si autem quaerimus, hoc quando acciderit, cogitari possit, vel de invasione Tiglat-Pileseris<sup>5</sup>), qui eos, qui a partibus Rezini fuerant, in regione transjordanensi, graviter aggressus est et oppressit, vel de invasione Sanheribi, cum in Aegyptum tenderet, qui tum per eorum terram fortasse partem exercitus transmisit, ut eos quoque secum in expeditionem traheret. Posset denique quis ad Salmanasseri expeditionem referre, cum regnum Israëlis subvertens, etiam regiones circumiacentes sit depopulatus, in

1) EWALD, *Gesch.* III. p. 317.

2) Hoc contendit EWALD, *Gesch.* III. p. 331.

3) EWALD, *Gesch.* III. p. 333—348. KEIL, l.l. p. 542.

4) KEIL, l.l. p. 600.

5) Vid. CREDNER, *Stud. u. Kritik.*, 1833, p. 777.

primis si cogitemus contra Judaeos saepius se cum Israëlitis conjunxisse Moabitas, gentesque transjordanenses jam mature Assyriorum incursiones fuisse expertas, qui versus Aegyptum tendentes, propterea quoque Syros et Philistaeos aggressi erant<sup>1)</sup>). Sed de hac re infra erit dicendum.

1) EWALD, *Gesch.* III. p. 315.

## C A P U T II.

DE AUCTORE VATICINII IN MOABITAS, CAPP. XV, XVI.

### § 1.

*Diversae recentiorum opiniones.*

Antiquiores interpres nunquam dubitarunt, an haec capita, quibus exitium Moabitis minatur Propheta, ipsi Jesaiæ tribuenda sint<sup>1)</sup>, adeoque nec argumentis opus esse putarunt, quibus hanc sententiam defenderent. Inter recentiores vero hac de re dubia extiterunt, et sic, cum longe plurimi hoc vaticinium Jesaiæ abjudicarent, alii aliter de auctore disputarunt, variaeque admodum et diversae extiterunt de eius auctore opiniones. Fuerunt enim, qui de antiquiori quodam vate cogitarent, qui ante Jesaiam vixerit, cuiusque scriptum oraculum hic occupaverit ita, ut epilogum XVI:13, 14 adderet, quare inter eius oracula fuerit relatum. Hanc opinionem proposuit Gesenius, quem Rosenmüllerus in editione sui commen-

1) Sic GROTIUS, VITRINGA, DÖDERLEIN, LOWTH, alii.

tarii postrema sequutus est, ita ut auctor vel aequalis Jesaiae fuerit, vel paulo ante eum vixerit. Ewaldus vero, qui plane peculiarem in hoc carmine indolem et rationem sibi invenisse visus est, cui nihil ex scriptis Prophetarum comparari queat, putat, illud Prophetae transjordanensi vetustiori, qui ante Amosum vixerit, tribuendum esse, ita tamen, ut a Jesaia auctum fuerit et emendatum et, praeter epilogum, c. XVI : 1—6 ab eo quoque fuerit retractatum. Antiquiori Prophetae quoque tribuunt Umbreit et Meier, quorum hic tamen non tam futuram devastationem Moabi eo denuntiatam putat, quam quidem speratam descriptam. Accuratius autem de ipso auctore inquisivit Hitzig, oraculum Jonae, qui 2 Reg. XIV : 25 memoratur, adscribens, cuius quidem verbis Jesaias epilogum tantum addiderit, in quo sibi adsentientes nactus est Maurer, Knobel et de Wette. Ab altera parte fuerunt, qui recentiori et juniori Prophetae totum vaticinium adscriberent, prouti Eichhorn<sup>1)</sup>, Koppe, Rosenmüllerus in prima sui commentarii editione (1791), Augusti, Bertholdt, Bauer, qui de Jeremia auctore cogitarunt. Ex quibus tamen Eichhorn postea<sup>2)</sup> rursus illud Jesaiae tribuit, qui haec scripserit, ut Israëlitas moneret, tempore devastationis Assyriacae, ne recipientes, qui ad ipsos ex Moabitide aufugissent, in regis Assyriorum invidiam et iram incurrerent, ita tamen ut epilogus additus esset tempore Nebucadnezaris. Denique non defuerunt, inter recentiores quoque, qui Jesaiae oraculum vindicarent, ad quos pertinet non tantum Credner, sed

1) *Einleit.* III. p. 58, 59.

2) *Hebr. prophet.* I. p. 245.

etiam Haevernick, Hendewerk, Drechsler; de quibus opinionibus nunc accuratius agendum.

## § 2.

*Quibus argumentis juniori Prophetae hoc oraculum sit adscriptum.*

Ab iis incipiendum, qui juniori Prophetae illud adscriperunt, cum eorum opinio vix amplius defensores inveniat breviusque igitur possit tractari. Hi in primis de Jeremia cogitarunt, quia hoc oraculum admodum cognatum est cum Jer. XLVIII, ubi diversi loci inde sumpti reperiuntur. Hinc adeo Rosenmüller<sup>1)</sup>, „Jam cum idem,” inquit, „quod hic habemus, carmen apud Jeremiam quoque levibus tantummodo quibusdam mutationibus, occurrat, equidem nullus dubito, nostrum vaticinium a Jeremia profectum, et, hic illic paulo mutatum, ab eo, qui varia variorum Prophetarum vaticinia post redditum ex exilio Babylonico collegit, huic, quae a Jesaia nomen habet, vaticiniorum collectioni insertum esse,” quibus verbis vestigia legit Eichhornii et Koppii<sup>2)</sup>. Brevius etiam rem confecit Bertholdt<sup>3)</sup>, contentus et auctorem et tempus, quo prodierit oraculum, indicare. Putat enim scriptum esse statim postquam Judaei e terra sua exules a Nebucadnezare fuerant deportati, quum hic e terra Judaeorum

1) *Scholia* 1791, p. 353.

2) In observationibus adjectis germanicae versioi operis LOWTHII de poesi Hebraeorum.

3) *Hist. Krit. Einleit.* IV. p. 1389.

Moabitas quoque invadere constituisset. Praeterea fuit, qui ad dictionem provocaret, formulasque et voces notaret, quae saepius eadem apud Jeremiam occurrunt<sup>1)</sup>. Sic certe facili negotio res peracta videbatur. Quid autem huius rei sit jam videamus.

## § 3.

*Huius opinionis epicrisis.*

Si Jesiae locum cum Jeremiae c. XLVIII comparamus, fatendum est certe in nonnullis talem reperiri consensum, qui nos dubitare non sinat, quin posterior Propheta prioris oraculum cognoverit. Sic apud Jeremiam vs. 5, 29, 32—34, 37 eadem fere legimus ac apud Jesaiam c. XV: 2, 3, 5, 6. XVI: 6—10<sup>2)</sup>. Sed in longe plurimis Jeremias a decessore suo diversus est. Non enim tantum argumentum suum prolixius tractat, sed etiam alia ratione et via. Denuntiat quidem etiam Moabitis excidium, utitur quoque loco Num. XXI: 28—30, sed ita ut praeter superbiam, etiam idolatriam iis exprobret nimiamque securitatem; contra ea, quae apud Jes. XVI: 1—5 leguntur, apud Jeremiam non occurrunt. Et certe nemo utrumque oraculum legerit, quin videat statim utrumque diverso auctori esse adscribendum. Praeterea non semel Jeremias antiquiorum scriptorum usus est verbis, uti in capite sequenti, vs. 7, 9—10, 14—16, usus est Obadiæ

1) Cf. AUGUSTI, *Exeget.-Handb.* p. 171.

2) Vid. GESENIUS, *Comm.* II. p. 511.

oraculo vs. 1—4, 5—6, 8. Recentiori aetate adeo fuit, qui Jeremiae oraculum ex loco Jesaiae interpolatum et auctum contenderet<sup>1)</sup>, ita ut jam vix ullus sit, qui sententiae Rosenmüller'i aliorumque adstipuletur<sup>2)</sup>. Attamen superest quaestio, quomodo oraculum Jeremiae de Moabitis conciliandum sit cum Jesaiae effatis, qui jam ante iis imminens exitium denuntiarat. Et certe posset aliquis contendere, hunc ad tempus Assyriorum unice respexisse, Jeremiam vero, verbis eius repetendis et augendis, indicare voluisse, similem gravioremque poenam iis denuo futuram, quod tamen minus probabile videtur; potius videatur uterque Propheta de interitu Moabitarum cogitasse propter odium, quo populum Dei prosecuti erant, et peccata, quibus erant obnoxii, huncque interitum describere voluisse, ita ut, singulis cladibus, quas Moabitae acciperent, id confirmaretur et praepararetur quod denunciatum erat, donec tandem plane in eventum vocaretur, cum per Chaldaeos tota Moabitis devastaretur<sup>3)</sup>. Est hoc enim non unicum exemplum, Prophetas quasi propinqua et conjuncta proponere, quae longius remota et diversis intervallis saepiusque repetita demum, eventura essent<sup>4)</sup>. Quae vero e dictione et loquendi forma, quasi senioris aetatis indicia petuntur, ea minoris momenti sunt, quia alii iisdem utuntur, ut antiquiori Prophetae nostrum adscribant vaticinium.

1) HITZIG, *der Proph. Jeremia*, p. 367.

2) Cf. GESENIUS in *Comm.* I. p. 510. VON CÖLLN, *Specil. observ. ad Zephanij. vaticin.* p. 20 seq.

3) JOSEPHUS, *Arch.* X. 93.

4) Cf. KUEPER, *Jerem. Vates*, p. 83.

## § 4.

*De argumentis, quibus usi sunt, qui antiquiori*

*Prophetae vaticinium adscripserunt.*

Gesenius<sup>1)</sup> ét ad linguae rationem ét ad dictionis formam provocat. Repetitiones, nominum geographicorum cumulatio, dictio molesta et difficilis illum movent ut oraculum, de quo agimus, Jesiae abjudicet. Paulo accuratius Ewald<sup>2)</sup> suam opinionem confirmare conatur, et talem misericordiam, animum ita tristitia affectum ob cladem populi alieni, quem in hoc oraculo invenimus, alienum putat ab iis Prophetis, cuorum scripta supersunt. Praeterea frequens usus vocabulorum הַיְדָה c. XVI: 9, 10, et עַל־בֶּן c. XVI: 9, 10, et בֵּן c. XV: 5 aliaeque illi videntur peculiarem scribendi rationem indicare, hujus oraculi scriptori tantum propriam. Ab eo non longe recedit Umbreit<sup>3)</sup>; sed Meier<sup>4)</sup> singula enumeravit et provocat, *primo* ad dictionem insolitam et molestam, ad verba, formas, constructiones a Jesiae alienas, *tum* ad argumenti tractationem, quae omni elevatione destituta, omnia per עַל־בֶּן c. XV: 5 conjungit, *tandem* ad animum misericordia defluentem, quem scriptor ubivis prodit. Knobel etiam longe plura vocabula hujus oraculi scriptori

1) GESENIUS, *Comment.* II. p. 508.

2) EWALD, *die Proph. des A. B.* I. p. 230.

3) UMBREIT, *Practischer Comm. über d. Jesaia*, p. 172.

4) MEIER, *der Prophet. Jesaia*. p. 186.

5) KNOBEL, *der Prophet. Jesaia*, p. 106.

עָרֹוּ וַעֲלָה יְרֵד בְּכִי יְרֵד כִּי נֶחֱלָה עַצָּה נֶחֱלָה הָעֲרָבִים מִים מְשֻׁמּוֹת הַיְרֵד נִפְלָא שִׁית צָל הַכָּא עַצָּה XV:3, 5, 6, 7 XVI:3, 9 pluraque vocabula recenset, peculiari significatione aut forma a scriptore usurpata. Hitzig<sup>1)</sup> contra magis urget dictionem et orationis formam universam.

Si igitur rationes subducamus, eo fere redeunt omnium argumenta, ut propter formam orationis et propter verborum usum Jesaiae oraculum abjudicetur. Illa prodit scriptorem, quem sortis Moabitarum miseret, qui tristitia propter eorum excidium afficitur, qui eam cladem luget, nec tamen digno modo, ea quae sensit, eloqui potest, sed difficulter et humiliter suum tractavit argumentum, multis verbis pauca dicens, fusiore dicendi genere, asperroque sermone usus. Alienam a Jesaia putant hanc, quae in hoc oraculo proditur, misericordiam, eo indignam putant orationis formam; desiderant eam, quae huic scriptori in primis propria fuit, elegantiam et animi elevationem, poeticum illum colorem, dictionis puleritudinem, qua inter omnes Prophetas eminuit<sup>2)</sup>. Sic interpretes de ar-

1) Hitzig, *Jesaja*, p. 179 et jam in opusculo *Des propheten Jonas Orakel über Moab*, p. 28.

2) Ut ipsis verbis referamus, haec subjicere placet: „Die Wiederholungen, die Haufung geographischer Namen mit Namensanspielungen, das Harte und Schwierige des Ausdrucks. — Die Darstellung ist ziemlich ungelenk, unbeholfen und schwerfällig; sie ermangelt eines kräftigen Schwunges und raschen, gefälligen Flusses. — Ebenso breit und schwerfällig, wie die Darstellung bewegt sich auch der Gedankenstrom, der unter dürren Wortspielen und Senfzern oft fast versiegt, und sich mit seinem unaufhörlichen *denn* und *darum* beständig im Kreise herumdreht. — Eine elegische weinerliche Weichherzigkeit charakterisiert diesen Propheten — so arm der Verfasser an Gedanken ist, so sehr ermangeln dieselben auch von vorn schon aller Kraft und Energie.“

gumenti tractatione judicant. De usu verborum minus consentiunt, plura exempla afferunt alii, alii pauciora; antiquitatis ea colorem referre putat Ewald; Hitzig adeo unice provocat ad פָּקְדָה c. XV: 7 quod alia significatione occurrit c. X: 3, hoc autem loco insolito sensu sit positum.

## § 5.

*Hitzigii de Jona auctore sententia.*

Non contentus oraculum Jesaiae abjudicasse, Hitzigius quoque verum eius auctorem se indicare posse putavit. Nimis 2 Reg. XIII : 25 legimus Jeroboamum II, qui fines regni Israëlitici restituit secundum verba Prophetae Jonae, filii Amithai ex Gath-Hepher, ad meridiem sibi subjecisse regiones usque ad יִם הַעֲרָבָה, quod mare idem esse ac נַהֲלָה apud Amos. VI:14 putat, eoque non indicari Arnonem, sed torrentem, qui magis versus meridiem in mare mortuum influit, nunc dictum *Wadi el-ahsa*. Hitzig igitur opinatur hinc posse concludi, Jeroboamum II non tantum usque ad Moabitidem regni Israëlitici fines protulisse, sed etiam Moabitas sibi subjecisse suoque regno adjecisse, atque de illa victoria tractasse memoratum Jonae vaticinium. Jam apud Jesaiam, XV—XVI:12 invenimus oraculum, sic fere ratiocinatur, cui Jesaias epilogum addiderit, quodque ipso est igitur antiquius, sed quod nullo modo ei adscribi queat ob dictionis et sermonis rationem. In illo oraculo videmus Moabitas trans Arnonem diversa loca occupasse, quod verosimiliter factum, quo tem-

pore Hasaël, rex Syrorum, Israëlitas opprimebat et Gilead depopulabatur. Illis denuntiatur magna clades, quia pulsi ad meridiem fugient, i. e. ad Idumaeam, iisque suadetur, ut tributum solvant Judaeorum regi, sine dubio quia tum Idumaea erat subjecta regi Judae, quod verum fuit postquam Amazia, qui Jeroboami II fuit aequalis, Edomitas vicisset, 2 Reg. XIV : 7. Jam igitur haec clades, Moabitis denuntiata, est illa ipsa, quam de iis reportavit Jeroboamus II, victoria, quod etiam inde confirmatur, quia hostes, quos Propheta indicat, videntur esse revera Israëlitae, contra quos Moabitae intercessionem Judaeorum implorant, sed frustra; unde pacem concordiamque inter utrumque regnum fuisse, potest praesumi, quod revera tempore Jeroboami obtinuit. Sic omnia indicant, Hitzigio auctore, oraculum nostrum ad tempora Jeroboami II eiusque victoriam referendum esse. Jam nullus nobis huius aetatis scriptor notus est, cui tribui possit, nam Joëli, Michae, Amoso adscribi nequit, praeter eundem illum Jonam, qui felicem bellorum eventum illi praedixerat, cuius oraculum, quin scripto consignatum extiterit dubitare non possumus. Sic oraculum anonymi cuiusdam, ut putabat, scriptoris, vindicavit auctori, cuius oraculum periisse censebatur<sup>1)</sup>. Eandem sententiam repetivit ille in suo commentario ad Jesaiam postea edito<sup>2)</sup>, neque tamen aliis argumentis confirmavit, quique eum secuti sunt, Maurer<sup>3)</sup> et Knobel, novi quoque nihil addiderunt, hoc arguento rem conjectam arbitrantes, oraculum ad Jeroboami II tempora

1) Cf. HITZIG, *des Propheten Jonas Orakel über Moab*, 1831.

2) HITZIG, *der Prophet. Jesaja*, p. 183.

3) MAURER, *Comment. gramm. crit.* I. p. 307.

pertinere, quibus iisdem temporibus Jonas vates vixerit,  
oraculumque suum ediderit.

## § 6.

*Antiquiori scriptori an recte vindicetur hoc oraculum.*

Est sane *primum*, quo usi sunt multi, argumentum admodum incertum et lubricum. Quae enim uni jejuna videantur et exilia, aliis placere possunt, multaeque causae fingi possunt, quare idem scriptor, alio tempore aliter scribens, sibi dissimilis fiat<sup>1)</sup>. Haec autem, quae universe de orationis forma allata fuerunt, ex uniuscuiusque sensu fere pendent, adeoque non mirum ipsos interpretes hac in re sibi non constitisse. Hitzigius enim sic loquitur de nostro scriptore, ut ejus phantasiam laudet et poetica facultatem<sup>2)</sup>. Ewald adeo locum XVI:1—6 Jesiae referre rationem putat. Et profecto, si singula rite interpretemur, tanta vis est in descriptione cladis, quam scriptor nobis quasi ob oculos ponit, cuius causas indicat, quam non effugiendam, totam depingit, ut cum ipsa gravitate excidii cohaereat eius misericordia, qua ducitur. Haec vero, ubi de Moabitis agitur, explicari potest ex vinculo cognationis, quo haec gens juncta erat Israëlitis,

1) WELTE in *Herbst Hist. Krit. Einleit.* II. 2. p. 40.

2) „Mit lebhafter Phantasie fasst er die Zukunft als Gegenwart auf, und wird selbst da, wo künftig redenden Personen auftreten, nicht irre. Er gibt die Reden, wie es das Ohr der Phantasie sie vernimmt, ohne einführende Notiz über den jedesmaligen Sprecher, XVI, 1, 3, 6, und wird so dramatisch.“ Cf. HÄVERNICK, *Einleit.* II. 2. p. 109.

cuius conscientia nunquam periiit, quippe quae orta ex eadem stirpe esset et propterea non subjuganda. Praeterea peculiaris orationis color, quem non negamus, potest repeti pro parte ex imitatione carminis antiqui, quod de clade Moabitica legitur, Num. XXI, quod scriptoris menti obversatum esse, docet quaedam similitudo verborum, sic **בָּאֵר מֹאָב** XV : 8. Num. XXI : 16, XV : 1. Num. XXI : 28. Hesbon XV : 4. Num. XXI : 26<sup>1)</sup>). Sed pro parte etiam hoc inde fortasse derivandum, quod in huius oraculi dictione vates exprimere voluerit doloris tristitiaque sensum, quo affectus erat, et propterea tardius incedere, naeniae instar, orationem hic illic voluerit. Multo gravius videtur *alterum* argumentum ex verborum insueto usu derivatum; sed nec in ea re omnes eadem urgent interpretes, singulaque melius infra in interpretatione tractabimus; qua igitur in re cautione opus videtur, ne verba, quae rarius occurrant, atque formas insolentiores, statim alterius scriptoris aut alias aetatis indicia habeamus, quum in tanta Hebraicorum scriptorum paucitate facile evenire posset, ut verba et voces, formae et flexiones vel plane interierint, vel nunc rarius inveniantur, quae aliquando tamen in usu esse consueverant, adeoque vel antiquioris vel junioris aetatis ea esse videantur, quia modo apud hunc illumve scriptorem inveniantur, aut paucis locis adhibeantur. Quod ne temere dictum videatur, non ad unum Schultensium<sup>2)</sup> provocare volumus, sed ad Gesenium

1) HENDEWERK, *des Proph. Jesaias Weissag.* I. p. 385. putat similitudinem intercedere inter oraculum contra Moabitas et illud contra Philistaeos, c. XIV : 30.

2) SCHULTENS, *de defectib. hodiernis linguae Hebraeae,* § 12. p. 9.

etiam, qui et ipse confitetur nobis in scriptis Hebraeorum non totam superesse linguae supellectilem et duas tantum revera ejus aetas posse discerni, nempe ante et post exilium Babylonicum, ceteroquin diversitatis sermonis paucissima certa dari indicia<sup>1)</sup>. Quare nec ipse videtur, de nostro loco agens<sup>2)</sup>, ad verba et formas insolitas provocasse, sed dictionem universam tantum ursisse. Sic videmus argumenta, quibus ducti ab alio, ac Jesaia, hoc oraculum compositum putarunt multi interpretes, minime eam vim habere, ut non contra disputari possit, et si res dubia manserit, certe affirmari non poterit, alterius nos scriptoris opus habere.

## § 7.

*Quid Hitzigii opinioni opponi possit.*

Novum erat, quod hoc oraculum ad Jeroboami tempus referretur, cum omnes antiquiores interpretes ad Sanherib aut Salmanasseri aetatem illud retulissent, cumque in ea re omne huius opinionis fundamentum situm sit, hoc primum videndum an sit probabile. Incertum, fateor, est, quousque fines regni protulerit Jeroboamus. ים הָעֲרָבָה videtur quidem esse mare mortuum<sup>3)</sup>, sed tamen eum Moabitas sibi subjecisse eorumque terram regno suo addidisse hinc certe non sequitur, nec ullibi aliquid hac

1) GESENIUS, *Geschichte der Hebr. Sprache und Schrift*, p. 23, 47.

2) GESENIUS, *der Proph. Jesaia*, II. 2. p. 507.

3) Aliorum opiniones recenset HITZIG, *des Prophet. Jon.* p. 3—8. sed vide HENGSTENBERG, *Beiträge*, II. p. 140. CREDNER, *Stud. u. Krit.* 1833, p. 798.

de re traditur. Nunquam ante Moabitae ad regnum Israëlis pertinuerant, sed tantum tributarii fuerunt. Praeterea expresse dicitur Deut. III: 9, Moabitidem ad terram Israëlitarum non pertinere, et, sive putas scriptorem 2 Reg. XIV: 25 respexisse ad Deut. III: 17, IV: 49, sive hunc librum adscriperis seniori aetati, ut aliis placet, inde confirmatur sententia, Israëlitas nunquam Moabitidem devicisse, saltem nunquam Prophetam hanc iis denuntiasse victoriam. Denique verba quoque 2 Reg. XIV: 25, indicant oraculum, quo Propheta praedixerit finium regni restitutionem, non Moabitidis devastationem; nam quum scriptor narravisset, Jeroboamum fines restituisse ab Hamath usque ad mare mortuum, subjungit statim: כִּכְרֵב יְהוָה אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר דָּבַר בַּיּוֹם יְמִינָה, ita ut ea verba alio referri non possint. Hoc vero oraculo nihil ejusmodi dicitur, sed deploratur clades Moabitarum, nec adeo victoria quaedam denuntiatur, multo minus praedicitur ea Israëlitis. Nullibi etiam indicium de Israëlitis, huius cladis Moabiticae auctoribus, egisse scriptorem, imo potius tota oraculi ratio docet de hoste aliquo extero eum cogitasse. Et certe alia exspectanda erant a Propheta, qui Victorias regi denuntiaret, quam ut hostium cladem defleret. Si, quod Hitzig conjicit, pro certo esset nobis traditum, ex ipsa oraculi indole de veritate dubitari posset, quanto magis nunc, ubi haec res conjecturâ tantum nititur. Denique nec illud praetermitendum, quod Credner urget<sup>1)</sup>, si jam per Victorias Jeroboami plane impletum fuisset hoc vaticinium, tam diu

1) *Stud. u. Krit.* 1833, p. 780.

ante editum, non intelligi posse quomodo Jesaias in epilogo eventum intra breve tempus futurum dicere potuerit, cum illud iterum repeteret. Et revera mirum vatis Israëlitici oraculum de re dudum peracta a Jesaia usurpatum fuisse, qui sine dubio, si Hitzigium audias, eadem et melius et elegantius et opportunius dicere potuisset. Haec contra hanc opinionem, qua Jonae nostrum oraculum tribuitur in primis valent<sup>1)</sup>. Sed praeterea argumenta, quae modo attulimus contra eos, qui antiquiori scriptori oraculum tribuant, ad refellendam quoque Hitzigii opinionem adhiberi possunt.

---

1) Alia vide apud MEIER, l.l. p. 186 et 187.

---

## C A P U T III.

QUAERITUR, AD QUAM AETATEM ORACULUM  
SIT REFERENDUM.

---

### § 1.

*Diversae interpretum sententiae.*

Vidimus de eorum opinionibus, qui vel juniori, vel antiquiori Prophetae hoc oraculum tribuerent, quorum argumenta, cum dubio majora non viderentur, superest ut de tempore videamus, quo oraculum referri possit, ex ipsius argumento definiendo. Hitzigii opinionem jam mitimus, qui ad Jeroboami II tempora illud refert, eiusque expeditionem transjordanensem. Antiquiores vel de expeditione Sanheribi vel de Salmanassaris invasione cogitabant. Priorem intellexerunt Hieronymus, Oecolampadius, posteriorem contra Schmidtius, Grotius, Vitrunga; Gesenius in genere Assyriorum invasionem quandam significari putat, et Ewald de Arabum incursione cogitat, nec accuratius hī tempus definiunt. Ad priores annos regni Uzziae, intra annos 810—800 a. Chr. refert Meier; Hendewerk contra ad a. 727 a. Chr., quum Hiskia modo regnum Judae

adeptus esset. Accuratissime vero omnium de tempore quaesivit Credner<sup>1)</sup>, quem Rosenmüller, Umbreit, Drechsler sequuntur, qui ad tempora invasionis Tiglat-Pileseri referunt. Et certe multis argumentis suam opinionem probare conatus est Credner. Rem autem sic sibi proposuit: cum Judaei sibi auxilium Assyriorum implorâssent, rexque Achaz, promissis divinis fidem non habens, summo metu propter invasionem Israëlitarum et Syrorum perculsus, ad Tiglat-Pileserum se convertisset, hic expeditionem suscepit et Syros primum eorumque metropolin Damascum aggressus est; sic effectum, ut ab Hierosolyma, quam jam obsidebant Israëlitae et Syri, decedèrent, suam ipsi regionem tuituri, 2 Reg. XVI : 5—7. 2 Chron. XXVIII : 5, 6. Interea Tiglat-Pileser partem exercitus miserat ad regiones transjordanenses depopulandas, atque ita omnis tractus usque ad Arnonem devastatus fuit. Ibi tum habitabant Moabitae, qui has regiones occupaverant, postquam Phul antea eas vastaverat et incolas sugarat. Summa trepidatione hi nunc trans Arnonem aufugerant, incertique Moabitae, quoisque Assyriorum progrederetur invasio, summopere metuebant, ne ipsorum etiam terram vastarent. Multi propterea versus meridiem aufugerunt, ibique sibi quaesiverunt asylum. Quid facerent potius, quam ut se cum Judaeis conjungerent, ut ita ab Assyriorum metu liberarentur? Judaei enim eo tempore Assyriorum socii erant; ab iis igitur exspectari poterat, ut Moabitas sua intercessione tuerentur, sed res periculosa erat Judaeis. Sic enim facile

---

1) *In Stud. u. Kritik*, 1833, p. 783 sqq.

Assyrii, jam Moabitis imminentes hancque sibi praedam eripi aegre ferentes, ipsis Judaeis infesti exstitissent. Hoc praecavere voluit Propheta, qui exspectans Assyriorum in Moabitas expeditionem eorumque cladem, hoc ediderit oraculum.

## § 2.

*Universi oraculi conspectus et descriptio.*

Hostes magna vi, gravique impetu irruunt in terram Moabiticam; quos a septentrione venire patet ex fuga incolarum, qui metu perculti versus meridiem ad Idumaeos aufugiunt. Hoc argumentum ita tractat Propheta, ut et causam huius cladis et eius gravitatem plenissime describat, totamque regionem hac incursione oppressam depingat. Primum hostes invadunt regiones trans Arnonem, quas tum quoque Moabitae incolebant; omnes aufugiunt trans euntque Arnonem, XVI:2, summus metus omnia corda occupat, omnes aufugiunt lamentantes et pavidi, regionem urbesque suas relinquentes, ad Idumaeam et Selam tendunt, XV:5, 7—XVI:1. Illis suadetur, ut hinc auxilium implorent Judaeorum, sed frustra. Experti enim sunt Judaei Moabitum superbiam et malam fidem in simili casu, XV:3—6. Evitari interitus non poterit, quem nec dii Moabitum avertere possint. Ipsum oraculum ita decurrit, ut tribus constet strophis, si Ewaldum sequamur, quarum prima, XV:1—9, calamitatem Moabitum deplorat vates, summa ductus misericordia, sed quae constat tribus membris, primum 1—4

describit praesentem cladem, alterum 5—7 proximos effectus cladis, fugam et terrae devastationem, tertium 8—9 novum eorum, qui fugerant, exitium. Altera stropha, XVI: 1—6 Moabitarum frustraneam auxilii a Judaeis petitionem continet, tertia, XVI: 7—12, iterum per tria membra dividitur, primum, 7—8, desperationem Moabitarum, alterum, 8—10, auctoris tristitiam, tertium 11, 12, eius spem fore ut ad Deum se convertant tandem Moabitae, exprimit. His ultimo loco adjungitur epilogus, quo instans denuntiatur judicium. Aliter paulo Meier, per sex strophas dividens, quarum prima, XV: 1—4, ut putat, describit subito invadens infortunium et omnium trepidationem, altera, 5—XVI: 2, Prophetae lamentationem fugamque populi continet, tertia, 8—9. XVI: 1, 3, auxilii a Judaeis petitionem, quarta, XVI: 4—7, exponit, quare petant auxilium et quare illud negetur, quinta, 8—10, novam lamentationem continet, sexta tandem, 11, 12, frustraneas ad deos preces fore declarat. Tandem Drechsler suam sententiam hoc modo expressit, quem ipsius verbis malum infra reddere quam minus accurata versione corrumperet<sup>1)</sup>. Ex quibus videmus in argumenti descriptione

1) „Die vorliegende Rede zerfällt vor allem in zwei Theile Cap. 15 das Gericht und Cap. 16. näher Cap. 16: 1—12 die Frucht, der Endzweck nämlich einerseits Israels Verherrlichung 16: 1—5, andererseits der sündigen Weltmacht Beschämung 16: 6—12. Im Theil I gliedert sich der Gang der Rede also, dass zuvörderst in vs. 1 der die Gedanken des Propheten erfüllende Gegenstand in summarischer Fassung ausgesprochen, sodann in vs. 2—9 die weitere Ausführung gegeben wird. Diese Ausführung verläuft in 3 Strophen, welchen das Schema 3. 2. 3 zu Grunde liegt; vs. 2—4 Moab trauert; vs. 5—6 Moab flieht; vs. 7—9 Moab flüchtet. Theil II gliedert sich in 2 Strophen, vs. 1—5 Israels Schutsherrlichkeit; vs. 6—12 Moabs Demütigung.“

non magnopere a se invicem dissentire interpretes; si tamen nostram addere licet opinionem, per tres partes carmen descriptum opinamur, quarum prima cladem, altera et causam cladis et frusta ab hominibus petitum auxilium, tertia effectum cladis describat. De quibus singulis in interpretatione videndum.

§ 3.

*Quid de aetate ex ipso oraculo effici possit.*

Si oraculum accuratius consideramus, videmus, quo tempore fuerit editum, hostes jam ad Moabitas approxinasse; sic enim loquitur scriptor vs. 1, ut jam eos Moabitis instantes depingat; occuparunt jam regiones trans Arnonem, indeque fugarant Moabitas. Quando vero eas occupassent Moabitae non traditur, sed certe post mortem demum Jeroboami II, cum intestinis discordiis et factionibus vires regni Israëlitici fractae essent, hos tractus facile denuo sibi vindicare potuerant, quos saepius Moabitae suae regioni adjungere conati erant. Hanc incursionem hostilem derepente atque ex improviso locum habuisse, videtur indicare trepidatio et fuga, quam Propheta describit, eaque eo tempore supervenit, quo Moabitarum res satis florent, agri vineaeque amplos proventus darent, XV:7. XVI:18, pax atque securitas ibi regnarent, XVI:9, 10. Ceterum Moabitas neutri regno, nec Israëlitico, nec Judaico, tum tributarios fuisse, ostendit eorum desiderium, ut se cum Judaeis conjungant, XVI:1. quod etiam indicare videtur, hostem iis ingruentem Judaeis

quoque infestum fuisse, quae res maxime Credneri opinioni obstare videtur. Praeterea, si revera verba XVI: 3—5 referenda sunt ad Judaeos, auxilium brevi ante similiter a Moabitis petentes, sed superbe demissos et hostibus proditos, illa ostendunt, brevi ante Judaeos graviter afflictos magnaue clade oppressos fuisse. Plerique interpres illa verba referunt ad Moabitas, ita ut eorum oratio ad Judaeos contineatur vs. 3—5, sed huic explicationi plura obstare videntur. Et quidem statim hoc animadvertisendum, in vs. 4 verba legi, quae ad ipsos Moabitas sint directa, si Masoretharum lectionem נְהַרְיָה מֹאָב Expulsi mei, o Moab! sequamur. Fateor, Graecos interpres legisse נְהַרְיָה, vertentes: παροικήσουσί σοι οἱ φύγαδες, Μωάβ, sed non tantae auctoritatis esse videntur, ut propterea auctoritatem Masoretharum deseramus. Non nulli tamen interpres eos secuti sunt, ita ut alii puncta vocalia mutanda putarint, ut Hitzig, Ewald, aut — habuerint antiquam terminationem status constructi, coll. XX:4. Gen. XLIX:26, ut Maurer, aut ita conjunxerint, ut *expulsi mei, Moabi* per appositionem esset dictum. Sed dubitari potest, an haec conjunctio cum linguae rationibus conveniat, et certe talem antiquam terminationem status constructi loci collati non ostendunt, nam XX:4, חִשּׁוֹפִי multi explicant: *nudati mei* et Gen. XLIX:26 *הָזְרִי* aliis vertunt: *parentes mei*, aliis legunt *הָזְרִי vel הָרִי* montes, ita ut inde nullum probandi argumentum duci possit<sup>1)</sup>. Mutare vero lectionem tum

1) Cf. ROORDA, *Gramm. Hebr.* § 391, qui dicit: In statu constructo semper .. pronuntiantur.

demum ausim, si certo constaret male Masorethas locum intellexisse, quum illi videantur eam sequunt traditionem, quae tum apud Judaeos viguit, et ex qua Hieronymus quoque vertit: *Habitabunt apud te profugi mei, Moab.* Sunt vero et alia, quae efficiant illa verba Moabitis vix tribui posse; nam quae legimus vs. 4 et 5 spem et fiduciam Judaeorum exprimunt, fore ut aliquando restituatur regnum Judae, et denuo floreant res ipsorum, ita ut tantum ad tempus asylum a Moabitis petant, illique facile concedere possint. Quid vero illa verba significant Moabitis adscripta? Moabitae enim vix poterant affirmare auxiliū iis praestiti effectum fore restitutionem regni Judaici. Denique verbum שְׁמֻעָנִי vs. 6 debet habere quo referatur; in verbis superioribus nulla appareat superbia; referenda igitur sunt ad aliquid, quod omnibus notum esse debuit, et sponte omnium memoriae occurrere ex verbis superioribus. Hoc erat negatio auxiliū rogati, in qua apparuerat malevolus Moabitarum animus. Propterea neque nunc Judaei eis optulari debebant. Haec ipsa eorum agendi ratio causa erat, ob quam nunc iis imminebat exitium, haec superbia et invidia, qua Judaeos repulerant, causa erat judicii divini nunc imminentis, עַל־בָּן propterea ejulatur Moab. Haec igitur sunt, quae ex oraculo ipso de temporis opportunitatibus effici possint.

## § 4.

*Quo nos ista vestigia ducant, ostenditur.*

Ante omnia videtur inquirendum, quando Judaei apud Moabitas asylum petierint, eorumque imploraverint auxi-

lium, ipsi hostium invasione oppressi. Et certe factum hoc probabiliter, cum Pekach rex Israëlitarum et Rezin rex Syriae contra Achaz bellum suscepserant. Tum enim Rezin regiones transjordanenses videtur depopulatus esse, et Moabitae atque Edomitae se cum illo videntur conjunxisse, vires regni Judaici, quod tempore Uzziae et Jotham tantopere floruerat, nunc frangi non aegre ferentes, quia sic facilius se suam tuituros libertatem sperabant. Et certe misera tunc erat regni Judaici conditio; undique hostes imminebant; Philistaei ab occidente depraedabantur; Edomitae a meridie invadabant, Israëlitae et Syri jam ad Hierosolymam adpropinquabant, 2 Chron. XXVIII: 17, 18. 2 Reg. XVI: 5. Praeterea Rezin urbem Elath, quam Uzzia judaico regno acquisierat, 2 Reg. XIV: 22, cepit, atque inde Judaeos expulit, quam deinde occuparunt Edomitae<sup>1)</sup>. Tum certe non mirum, si Judaei profugi ad Moabitas confugerint, sedibus suis expulsi, ibi asylum quaerentes in clade undique irruente, poterantque sic loqui, prouti eos loquentes inducit scriptor, spe ducti, fore ut Deus eos non desereret, sed res ipsorum afflictas restitueret. Post hanc igitur Pekachi et Rezini invasionem hoc oraculum scriptum fuit; Achaz, ut notum est, regis Assyriae imploravit auxilium, quamquam Jesaias hoc gravissime dissuaserat, eiusque rei hic fuit effectus, ut regnum Iudee tributarium Assyrii fieret, postquam urbs Damascus capta et regnum Israëliticum devictum ab Assyriis fuerat, atque ita utrumque regnum maxime debilitaretur. Haec vero Assyriorum interventio quam periculosa foret omni-

1) KEIL, *Komm. über die Büch. d. Kön.* p. 476. EWALD, *Geschichte*, III. p. 311.

bus gentibus circumjacentibus, neminem latere poterat. Etenim Assyrii regni sui fines versus occidentem extenderet in primis conabantur, jamque agitabant occupandae Aegypti consilia. Jam ante Phul, 2 Reg. XV : 19, Israëliticum regnum aggressus erat, nunc Tiglat-Pilezer magis etiam et Israëlitas et Judaeos fregerat. — Erant, qui imminentes ab Assyriis periculum praesagientes in utroque regno ab Aegyptiis auxilium contra Assyrios petendum putarent. His quoque resistebant Prophetae, ab Aegyptiis frustra auxilium exspectari monentes; hi ut soli Deo considerent, Israëlitas exhortabantur, iisque quidem gravia Dei judicia ob idolatriam et peccata denuntiabant, sed simul erigebant animos, meliora iis tempora praedicentes. Populis vero finitimis ab iisdem Assyriis interitum instare praevidebat Jesajas. Si enim illi ultra versus occidentem progresserentur, duplex iis via ad Aegyptum patebat, vel juxta oras Mediterranei maris per Phoeniciam et Philistaeam, vel per regiones transjordanenses per Moabitidem et Idumaeam. Quacunque irent via, poenas sumerent ab his gentibus, qui Judaeis se semper infestos probaverant, eoque Dei iram sibi concitaverant. Et certe utraque via progressi deinde sunt Assyrii. Phoeniciam et Philistaeam sibi subjecere conati sunt Salmanasser<sup>1)</sup> et Sargon<sup>2)</sup>, Sanheribus in Aegyptum magno exercitu profectus, etiam altera via usus est, unde Arabum quoque rex apud Herodotum vocatur, quia Arabum, quibus trans Jordanem et in Petraea sedes, amplius numerus illi subjectus fuerit<sup>3)</sup>. Hic deinde,

1) Cf. FL. JOSEPHUS, *Archaeol.* IX, 14. § 2.

2) Jesaj. XX : 1.

3) HERODOT. II. 141 ibiq. WESSELING in notis.

Dei interventu ad Hierosolymam suum vidi deletum exercitum, fractasque suas vires<sup>1)</sup>. Sed Moabitae probabili-  
ter jam gravem ab Assyriis cladem experti erant; tum  
jam factum, quod Propheta providerat, auxilium petierant  
ab Hiskia, qui et ipse aegre ferens Assyriorum domina-  
tionem, jam de recuperanda libertate cogitabat et omnia  
pararat, ut Assyriis resisteret. Sic ad ultima tempora  
Achazi ipsum oraculum, epilogus vero ad tempora Hiskiae  
referendus videtur.

### § 5.

*De loco, quo hoc oraculum sit positum in collectione  
vaticiniorum Jesaiae.*

In collectione vaticiniorum Jesaiae hoc oraculum pro-  
xime sequitur illud, quo Philistaeis et Phoenicibus summa  
clades denunciatur, ne gaudeant de regni Judaici humili-  
latione, XIV : 28—32; post illud vero, de quo agimus,  
vaticinium aliud ponitur, quo et regno Damasceno et  
regno Israëlitico exitium praedicitur, quae Dei poenam  
effugere jam haud possunt, sed incolis et viribus deficiunt,  
XVII. In utroque oraculo vestigia sunt satis certa tem-  
poris, quo edita fuerunt, nempe post invasionem Pekachi  
et Rezini, sub finem regni Achazi, nec hac de re dis-  
sentient fere interpretes<sup>2)</sup>. Etenim שְׁבַת מִכְמָה, qui a  
Philistaeis recessit, XIV : 29, est Judaeorum dominatio, cui  
ab Uzzia subjecti fuerant, 2 Chron. XXVI: 6. Nunc quidem

1) In his fere secuti sumus EWALD, *Geschichte* III. p. 302, 303, 308,  
311, 315, 328, 340.

2) GESENIUS, *Komm.* I. p. 494. KEIL, *apologet. Versuch*, p. 240.

gaudent et exsultant, sed nova a septentrione, ab Assyriis scilicet, iis imminet clades multo gravior, ob quam ejulabunt et lamentabuntur, qualem cladem eos a Salmanassere et Sargone gravissimam deinde accepisse vidimus. In oraculo c. XVII Damasceni et Israëlitae arctissime conjunguntur, illisque vs. 3 dicitur: „et finem habebit munimentum ex Ephraim et imperium ex Damasco et resiliqua Syria,” quae ad expugnationem urbis Damasci et invasionem Tiglat-Pileseri et Salmanasseris in Ephraim referenda sunt. Sic igitur videmus tria haec oracula arctissime conjuncta esse, prolata contra eos, qui regnante Achazo, contra Judaeos infesti extiterant, nempe contra Philistaeos, Moabitas, Syros et Israëlitas, quibus ab iisdem hostibus eadem clades imminet. — Hinc vix dubium, quin ad idem fere tempus sint referenda. Jam XIV: 28 legimus oraculum contra Philistaeos prolatum fuisse, quo mortuus est rex Achaz, anno. Ad idem igitur fere tempus hoc in Moabitas oraculum est referendum, quo et indicia ipsius et locus nos dicit, quo invenitur. Qui vero XVI: 14 additus legitur epilogus, revera postea additus videtur, tempore Hiskiae, cum fortasse non deessent, qui Prophetae minas inanes et vanas jactarent, ibique Jesaias ad expeditionem Sanheribi respexit, qui ad Aegyptum tendens, etiam Moabitas aggressurus erat, licet eius eventus historiam deesse descriptionem nobis, fatendum sit.

---

## C A P U T   I V.

### ORACULI EXPLICATIO.

---

#### § 1.

*Versio.*

---

## C A P I T I S   X V.

### ORACULUM MOABI.

1. Sane noctu oppressa est Ar-Moab, excisa est, sane noctu oppressa est Kir-Moab, excisa est.
2. Adscendunt Baith et Dibon in colles, ut plorent; in Nebone et in Medeba Moab ejulat; in omnibus eius capitibus calvities, omnis barba abscissa.
3. In viis eius cincti sunt sacco; super tecta sua et in plateis suis omnes ejulant, diffluentes fletu.
4. Et clamat Hesbon et Eleale, usque ad Jahaz auditur vox eorum; propterea expediti Moabi vociferantur; animus suus singulis tristis est.
5. Cor meum propter Moabum clamat, fugitivi eius ad Zoar, ad Eglat-Schelischija; Sane clivum Luchit cum

fletu adscendunt, sane in via Horonaim clamorem vehementem tollunt.

6. Sane aquae Nimrim vastitates sunt; sane exarescit gramen, deficit herba, viridum non adest.

7. Propterea, quod reliquum habent, et opes suas trans torrentem salicum asportant.

8. Sane resonat clamor ad fines Moabi; ad Eglaim ejulatio eius et ad Beér-Elim ejulatio eius.

9. Sane aquae Dimon repletae sunt sanguine, sane addam ad Dimon alia; et Moabi reliquis leo, et superstibus terrae.

## C A P I T I S XVI.

1. Mittite agnum domini terrae ex Sela ad desertum, ad montem filiae Sionis.

2. Et sicut avis vaga, nidus dejectus, erunt filiae Moabi ad vada Arnonis.

3. Affer consilium, praesta auxilium; praebe noctis instar umbram tuam in ipsa meridie; absconde fugitivos, fugientem ne prodas.

4. Commorentur apud te expulsi mei, Moab! sis latibulum iis a devastatore; sane desinet oppressor, finietur vastatio, tollentur concultantes omnia e terra.

5. Et stabilitur clementia thronus et sedet in eo cum pietate in tentorio Davidis judex et quaerens jus et properans ad justitiam.

6. Audivimus superbiam Moabi, valde superbus est; superbia eius et fastus eius et elatio eius! vana eius falsiloquia!

7. Hinc ejulat Moab de Moabo, omnes ejulant, propter molas uvarum Kir-Hareseth lamentabimini, prorsus contriti.

8. Sane agri Hesbonis marcuerunt, vitis Sibmae — domini populorum percusserunt palmites eius; ad Jaëzer se extenderunt, pererrant desertum, eius propagines diffusae sunt, transeunt mare.

9. Propterea defleo fletu ut Jaëzer ita vitem Sibmae; irrigabo te lacrymis meis, Hesbon et Eleale! Sane in fructuum collectionem tuam et in messem tuam cecidit hostium strepitus.

10. Et aufertur laetitia et gaudium ex arvis et in vineis non cantatur, non jubilatur; vinum in torcularibus non calcat calcator; strepitum tollam.

11. Propterea viscera mea de Moabo citharae instar perstrepunt, et cor meum de Kir-Haresch.

12. Et fit, quum apparuerit et se fatigaverit Moab in colle et venerit ad sacrarium suum, ut precetur, — et nihil efficiet.

13. Hoc est verbum, quod locutus est Jehovah ad Moab tum;

14. Et nunc loquitur Jehovah ita: intra tres annos, ut sunt anni mercenarii, et vilesct gloria Moabi cum omni sua copia magna, et reliquum parvum et exile, non validum.

## § 2.

### *De locis in hoc oraculo nominatis.*

Antequam ad ipsam huius oraculi explicationem progressiamur, operae pretium videtur de locis diversis, quae nominantur, eorumque situ disquirere. Illa autem fere

omnia intra Moabitum fines sitae fuerunt et pauca tantum de his locis nota sunt. Metropolis Moabitum fuit Ar-Moab עַר־מוֹאָב, prouti vs. 1 et Num. XXI:28 vocatur; עִיר־מוֹאָב dicitur Num. XXII:36; alibi tantum עַר, Num. XXI:15; Deut. II:9. Sita fuit ad ripam australem Arnonis, apud Graecos Ἀρεόπολις audit, sed eam quoque רְבָה מוֹאָב dictam fuisse, licet hoc nomen in Hebraeorum scriptis non occurrat, docent Stephanus Byzantinus: Ραβάθμωμα, πόλις τρίτη τῆς παλαιστίνης, ἡ νῦν Ἀρεόπολις<sup>1)</sup> et Eusebius in Onomastico<sup>2)</sup>. Urbs fuit major, quae postea ad saeculum sextum usque episcopi sedes fuit, licet Hieronymi aetate motu terrae graviter affecta<sup>3)</sup>, sita ad vada Arnonis, quo via per Moabitidem ducebat ad Zoar et hinc in Idumaeam<sup>4)</sup> et invasioni hostium a septentrione advenientium ante alias exposita erat.

Nec procul ab ea remota, quae קֵיד־מוֹאָב vocatur, arx Moabi, quae קֵיד הַחֲרֵש sive קֵיד חֶרְשׁ arx latericia, XV:1, XVI:7, Jerem. XLVIII:31, 36, 2 Reg. III:25, unde Graece χάρακα, 2 Maccab. XII:17, et χαράκωβα apud Stephanum Byzant. audit<sup>5)</sup>, erat locus munitissimus, quo rex Moabitum aufugit et diu se contra Israëlitas defendit, 2 Reg. III:25: postea etiam ibi castellum fuit in praerupta rupe positum<sup>6)</sup>.

1) Cf. GESENIUS in *Thes.* II. p. 1005. — WINER, *Bibl. Realwoerterb.* ed. 3. in v.

2) *Onomasticum urbium et locor. sacr. script.* p. 114. Cf. HOLTSTENII, *Notae et castigatt. in STEPH.* p. 269.

3) RELANDI *Palaest.* p. 577.

4) EUSEBIUS v. Δωραβά et Λουειθ. RELAND, p. 408.

5) RELAND, p. 705.

6) Cf. SCHULTENS *ind. Geograph.* V. *Curacte ad calcem vitae Saladini a se editae.*

Loca vero et **רֵבֹן בֵּית**, si prius cum Vitrunga, Rosenmüller et Ewald pro nomine proprio habeas, sita erant a septentrione Arnonis, in regionibus, quae aliquando ad Moabitas, Num. XXI : 30, postea ad Israëlitas pertinuerant, Num. XXXII : 34, Jos. XIII : 17, non procul ab iis locis, ubi jam antiquitus sacra in collibus facere Moabitae consueverant, Num. XXII : 41, ad quas colles, eodem proposito, adscendunt horum locorum incolae, deorum in hac clade auxilium imploraturi. Fortasse locus **בֵּית** nomen a templo quodam habuit, quo celebris fuit. Fortasse quae h. l. **בֵּית** simpliciter vocatur, idem est locus, qui alibi **בֵּית בָּעֵל מְעוֹן** dicitur Jos. XIII : 17, et, Num. XXXII : 38, **בָּעֵל מְעוֹן** audit et apud Jer. XLVIII : 23, Ezech. XXV : 9, **בֵּית מְעוֹן** vocatur, in cuius vicinia sitae erant colles Baälis, Jos. XIII : 17, sive colles Arnonis, Num. XXI : 28, in quas nunc incolae adscenderint; sed haec incerta esse, sentio. Multi, in his Credner, pro appellativo habent, et sive templum aliquod intelligunt, sive domum privatam, in quam quisque precaturus adscenderit. Dibon vero, XV : 9, appellatur ob paronomasię, ubi videmus ad hunc locum aquas fuisse celebres, nec procul hinc abfuit Nebo, quae ad montis Nebo radices sita erat<sup>1)</sup>. Nebo quoque antiquitus ad Moabitas pertinuerat, deinde ad Rubenitarum ditiones, Num. XXXII : 3, 38, sed eam nunc denuo Moabitae occupaverant, qui huic urbi aliisque huius regionis antiqua sua nomina reddiderunt, quum iis alia Israëlitae aliquando imposuissent.

1) Cf. HIERONYMI et EUSEBII *Onomasticon*, p. 116 (Edit. 1707).

Ad eas quoque pertinuerunt Medeba, Hesbon, Eleale, Jahaz, e quibus Medeba et Hesbon antiquitus Moabitae tenuerant, sed eos expulerant Amoritae, Num. XXI: 30, postea denuo, devicto Sihone, qui urbem Hesbon regni sedem habuisse videtur, eas urbes occuparunt Israëlitae. Medeba postea ad Rubenitas pertinuit, Jos. XIII: 16, Hesbon vero et Rubenitis adscribitur et Gaditis, Num. XXII: 37. Jos. XXI: 39, sed Levitis concessa fuit, cf. Cantic. VII: 4. Nunc a Moabitis occupata, diu post fuit superstes, et a Jeremia c. XLVIII תַהֲלַת מוֹאָב dicitur. De ea sic Eusebius: καλεῖται νῦν Ἐσβώνες ἐπίσημος πόλις τῆς Ἀραβίας ἐν ὅρεσι τοῖς ἀντικρῦ τῆς Ἱεριχούς κειμένη, ὡς ἀπὸ σημείων καὶ τοῦ Ιορδάνου<sup>1)</sup>). In ejus proximitate fuit Eleale<sup>2)</sup>. Rubenitarum quondam civitas, ut et Jahaz, ubi Sihon cum Israëlitis pugnarat, Num. XXI: 23<sup>3)</sup>). Has omnes civitates trans Arnonem sitas et nunc a Moabitis occupatas memorat Jesaias, quia illae hostibus a septentrione ingruentibus primae expositae erant, ibi igitur consternatio et trepidatio maxima esse debuit, hinc fuga debuit incipere.

Quae porro memorantur loca, jam qua via ad meridiem fugiant Moabitae, indicant. Magna via a metropoli Ar-Moab ducebat ad Zoar, quae ibat per Luchit<sup>4)</sup> et, ut videtur, per Horonaïm. Zoar vero nota urbs est, quae antiquitus בְּלֵעַ dicta, Gen. XIV: 2, Lotho eiusque familiae asylum exstitit, cum e Sodoma aufugeret, et inde

1) Cf. RELANDI *Palaest.* p. 719.

2) EUSEBIUS et HIERON. in *Onom.* p. 65.

3) Inuria HITZIG et UMBREIT de alia urbe cogitarunt, cf. EUSEB. *On. v. iεσσα.*

4) EUSEBIUS v. λούθ. RELANDI *Palaest.* p. 408.

nomen sortita est, Gen. XIX : 22. Sita erat ad sinum maris mortui australem, ad meridiem regionis Moabiticae, ad quam tunc pertinuisse videtur, cum eo omnes aufugerent, Jer. XLVIII : 34. Postea ibi praesidium militum Romanorum et sedes episcopi<sup>1)</sup> fuit.

Adscensum Luchit et Horonaïm vero vix novimus, nisi loca sita fuisse inter Areopolin et Zoar. Difficile explicatu est nomen **עֲנָלָה שְׁלִשִּׁיה** *vitula tertii ordinis*. Alii enim hoc ad Moabitas retulerunt, eumque populum vitulam triennem vocari putarunt ob vigorem et alacritatem, qua adhuc insignis esset, quo nunc gravior illa clades accideret, vel ut Gesenius, quasi adhuc indomita, mox domari deberet, prouti et alibi **עֲנָלָה** de populis adhibetur, Hos. IV : 16. X : 11. Jer. XLVI : 20. Sed huic opinioni obstat nimis remota a Moabi nomine haec ponи, tum quod haec comparatio, alibi certissimis verbis indicata, hoc loco ne significetur quidem. Alii ad Zoar retulerunt, sive quia ter vastata et ter restituta esset, sive quia Zoar compararetur cum vitula formosa et valida, sive, ut Hitzigio placuit, quem sequitur Umbreit, quia parva esset et vaccae demum tertii ordinis comparari posset, quod tamen epitheton otiosum non injuria dicit Maurer. Multo tamen minus probanda sententia Aurivillii, qui **שְׁלִשִּׁיה בָּרִיחָה** legens tunc sensum extorsit: „Ad Zoarum usque sese proripuit fugiens velut oestro percita vitula,” aut eorum, qui ad **זַעַק** referunt, praeeunte Bocharto, eo sensu: „cor meum clamat — ut vitula triennis,” aut cum Vitrunga de fugientibus intelligunt, in fuga vaccae instar ejulantibus.

1) EUSEBIUS in βαθλά. STEPH. BYZANTER. Zoàra. RELANDI, *Palaest.* p. 1065.

Revera cum Michaële, Doederlein, Knobel, Meiero, Ewaldo, Palmio nomen loci intelligendum videtur, cui nec Jer. XLVIII obstat, ubi cum Horonaim eodem modo conjungitur ac hoc loco cum Zoar, et ubi quoque de loco quodam accipi potest. Quis vero locus intelligendus sit, incertum est, sive sit ea urbs, quam in Arabia Petraea Ptolemaeus nominat *Νέκλας*, sive de Abulphedae Aglun, sive de loco qui apud Ezechiëlem XLVII:10. **עִיר עֲנָלִים** dicitur, cogitandum. Haud ita procul a Zoar abfuisse haec eius mentio ostendit.

Nec multum remotae fuisse videntur Eglaim et Beér-elim. Prior locus *ἀγαλλεῖμ* apud Graecos et Eusebium, qui dicit esse ad meridiem Areopoleos, distans 8 milliaribus, quamquam incertum an idem locus significetur; alter nobis incognitus est; ut putant, idem locus ac Num. XXI:16—18, memoratur, qui a fonte nomen habuit, quem Moses Israélitis aperuit, qui fons **בַּאֵר אֶלְים** fortasse dictus fuit a **שְׁרִים** et **נְדִיבִים** qui memorantur antiquo illo carmine, cuius fragmenta ibi citantur. Ceterum fugiunt, quia quoque aquae Nimrim exsiccatae sunt, quo nomine indicari videtur eadem urbs, quae Nimra, Num. XXXII:3, vel Beth-Nimra, Num. XXXII:36, Jos. XIII:27, vocatur, quae ad Gaditas pertinuerat quaeque haud procul aberat a Jordano; aquae vero istae intelligendae de receptaculis aquarum, quibus urbium incolae colligere aquas et irrigare agros solebant, et e quibus fertilitas regionis et incolarum vita pendebat.

Nec in his locis substitit fuga Moabitarum, usque ad

1) RELAND, II. p. 926.

Selam tendunt, metropolin Idumaeae. Tempore Amaziae regis Judaeorum jam caput Edomitarum fuit et ab eo capta, 2 Reg. XIV : 7, et postea Petrae nomine notissima<sup>1)</sup>. Ez vero ut pervenirent transire debebant נַהֲלָה הָעֲרָבִים quem torrentem Hitzig eundem putat ac נַהֲלָה הָעֲרָבָה apud Amosum VI:14, eodemque retulit יְמִינַת הָעֲרָבָה, 2 Reg. XIV : 25. Hoc tamen vix probabile videtur. Licet enim facile nobis persuaserit torrentem salicum, qui h. l. memoratur, esse hodiernum Wadi el-Ahza, qui fines Moabitidos ab Idumaea discrevit, et in sinum australem maris mortui infunditur<sup>1)</sup>, quem igitur a Zoar fugientes ultro ad Edomitas transire debebant, non tamen probavit, נַהֲלָה הָעֲרָבָה torrentem planitiei, quo fines Israëlitarum indicantur, qui nunquam usque ad Wadi el-Ahsa se extenderunt, eundem esse<sup>2)</sup>. Torrens planitiei, verosimiliter ad septentrionem maris mortui quaerendus, nomen fortasse habebat a planicie sive campus Moabi, et erat aut ipse Arnon, aut saltem illi vicinus.

Denique in hoc carmine memorantur Sibma et Jaëzer. Prior urbs non longe ab Hesbone sita ad Rubenitas pertinuerat, Num. XXXII : 38, Josua XIII : 19, et in primis vini cultura fuit celebris, ut ex nostro loco videmus; altera erat urbs Gileaditidis, Levitis concessa, Jos. XXI : 39<sup>3)</sup>, quam utramque nunc Moabitae occuparant.

Haec de locis hoc oraculo memoratis dicta nos docent, qua via Moabitas fugientes describat Propheta, qui regio-

1) De Euphrate minus apte cogitat PALMIUS, Jesaja I. p. 388.

2) Cf. GESENIUS in Thesauro, p. 1065. Cf. quae diximus p. 35.

3) RELAND l.l. p. 825.

nes trans Arnonem summo metu affecti relinquentes, nec in sua se regione satis securos habentes, jam ad Edomitas meridiem versus aufugiunt, ibi auxilium simul et asylum quaerentes.

## § 3.

*Ipsa oraculi explicatio.*

Vs. 1. הִנֵּה Haec particula, ut Rosenmüllerus monet<sup>1)</sup>, aliis videtur redundare, aliis, veluti Coccejo, protas in dicere, cui respondeat apodosis, sect. sequenti: quia noctu excisa est Ar-Moab — adscendit (scil. Moab). Koppio haec particula arguere videtur, praecessisse quidquam, quod interciderit, quo cum facit Hitzigius<sup>2)</sup>, qui intelligit אָמַרְתִּי, et Hendewerk<sup>3)</sup>, qui supplet הִנֵּה sive יְהִי, cf. Gen. III:1, quum hoc verb. subst. in Hebraeo sermone saepe elidatur; denique Rosenmüllerus et Gesenius<sup>4)</sup> quoque aliquid subaudiendum esse contendunt, prouti in verbis בְּיַנְתָּן יְהֹוָה, quae Jos. II:27 occurrunt, vid. etiam Num. XXII:33, Ruth I:10, 1 Sam. X:19. Vix tamen opus ut ita suppleamus, nam particula הִנֵּה multis locis habet vim affirmationis, adeoque verti potest *sane*, *profecto*, sicut etiam h. l. accepit Meierus<sup>5)</sup>, quam significationem in primis

1) *Schol. P. III. Vol. I. p. 537, ed. 3°.*

2) *Der Proph. Jes. p. 185.*

3) *Des Pr. Jes. Weissagungen, P. I. p. 388.*

4) *Comm. P. I. Abth. II. p. 514 seq., quo cum confer ejus disputationem in Thesauro, II. p. 678.*

5) *Der Proph. Jes., p. 188.*

vindicavit Redslob<sup>1)</sup>), eaque his locis sane aptissima ubi orationi directae praemittitur, aut post jurisjurandi formulas sequitur, aut additur adverbii et interjectionibus. Minus recte igitur Koppius et Drechsler<sup>2)</sup> hanc particulam causam indicare putarunt, quare hoc oraculum **מֹשֶׁא מִזְאָב** inscribatur.

**בְּלֵיל** Nonnulli pro statu constructo, alii pro absoluto habent; prius fecerunt Gesenius, Hitzig, Umbreit<sup>3)</sup> Knobel<sup>4)</sup>, Drechsler, cum status absolutus sit **לֵיל**; hi igitur pronomen relativum omissum putant, — **נְרָמָה** — explicantes, Hitzig vero sect. sequenti demum apodosin incipere putat, ut conjungat **עַלְהָ** — **בְּלֵיל אֲשֶׁר** — **בְּלֵיל**, tum status constructus pendet ex sententia relativa, quae sequitur. Pro statu absoluto acceperunt Maurer, Meier et Hendewerk, ut etiam antea jam Vitringa<sup>5)</sup>, quod magis placet, quum etiam apud Jesaiam, c. XXI:11, **לֵיל** pro **חַיל** occurrat, et alibi hae formae permutentur, ut **חַיל** Jes. XXXVI:2, 2 Reg. XVIII:17, et **חַל** Obad. 20 pro **חַיל** et **יְמִין** Cant. Cant. VII:10 pro **יְמִין** cf. Roordae Gramm. § 245. Koppius legit **בְּכָלֵיל** *quasi noctu* i. e. subito, quod tamen nullo fundamento nititur; ceterum **בְּלֵיל** vel ita accipi potest ut: repente, subito, notet, uti Hiob. XXVII:20 et XXXIV:25, vel potest, ita explicari ut describat nocturnum hostium adventum, qui eo gravior et

1) *Ueber die Partie.* בְּ Leipzig. 1842.

2) *Der Proph. Jes.* p. 188.

3) *Prakt. Comm. über d. Jes.* ed. 2de p. 161.

4) *Der Proph. Jes.* p. 108.

5) *Comm. T. I.* p. 465.

magis metuendus esset quod hostes noctu venturi essent; ita sumsit Hitzig, qui confert Jer. XXXIX:4, Ps. LIX:7, 15.

**שָׁדֵךְ** Knobel explicat per Inf. Pu. sed Gesenius, Mauerer, Drechsler et Meier formam Praeteriti habent; Knobel hac in re sequutus est Ludov. de Dieu<sup>1)</sup>. **שָׁדֵךְ** vero dicitur de hostili impetu, de hostibus opprimentibus, urgentibus, qui magna vi irrumpunt, Psalm. CXXXVII:8, hinc Babel vocatur **הַשְׁׁדוֹרָה** *oppressa*. Usus formae masculinae sine dubio ex eo repetendus, quod incolae urbium in primis significantur.

**נֶרְמָה** *periit*, actum erit igitur de urbibus memoratis, nec resistere poterunt, si invadantur. Quod quidem quo significantius indicaret Jesaias, hoc verbum addidit, quod plenam devastationem indicat. Hoc tamen omni vi careret, si apodosin faceret; quid enim languidius illo *in nocte*, *qua opprimetur Ar-Moab, vastata erit*. Potius illud **נֶרְמָה** appositum est, ut uno illo verbo gravitas cladis, verbis superioribus indicatae, ante oculos ponatur: noctu opprimitur, excisa est. Nec quoque Hitzigii opinio apodosin vs. 2 incipere cum ratione hujus vaticinii convenit, quod brevibus incedit periodis, quae ex brevitate sua peculiare pondus habent. Statim paucis verbis totam cladem urbis metropoleos Moabitarum, locique omnium munitissimi nobis proponit, ex improviso quasi in medias nos res arripiens. Hinc facile caremus conjectura, quam proposuit Michaëlis **נֶרְמָה** *sileamus*. Praeterea **נֶרְמָה** eadem, qua hoc loco, significatione etiam occurrit Jer. XLVII:5, Hos. X:15. Zeph. I:11.

1) Cf. SCHULTENSII *Institt. Hebraic.* p. 300.

Repetitio denique eorundem verborum, uno tantum verbo mutato, saepius invenitur apud Jesaiam, prouti c. VIII : 9, XXI : 11, cf. XXVIII : 23, indeque argumentum pro authenticia huius oraculi derivat Hendewerk, cui tamen, ubi c. XVII : 14 simiter parallelismum videt, assentiri non possumus.

Vs. 2. **עַלְהָ** *adscendit* sc. Baith et Dibon, ad **הַבְמֹות**. Alii de Moabo intelligentes, *Moab adscendit ad Baith et Dibon*, prouti Palmius, sed minus accommodate ad sensum, quum nunc consternatio describatur, quae his locis trans Arnonem sitis fuerit. Plurimi interpretes **בְמֹות** nomen appellativum habent; ita enim Rosenmüllerus, Palmius, Hitzig, Drechsler, Hendewerk, Umbreit, Gesenius, Credner, Ewald, Meier, et jam Vitrunga et Doederlein, quod magis cum sequentibus convenit. Indicatur enim locus, ad quem adscendunt incolae horum locorum, ut ibi a diis suis impetrent auxilium. Ibi enim jam antiquitus Moabitae loca sacra in collibus habuerunt. Ceterum nota est consuetudo antiquorum sacrificandi et precandi in excelsis locis, Jer. XLVIII : 35, 4 Mos. XXII : 41 seqq., Matth. VI : 46<sup>1)</sup>), quae etiam viguit apud Moabitas, ut patet ex 1 Reg. XI : 7. Si vero **הַבְמֹות** tanquam nomen proprium accipere velis, erit idem locus ac Bamoth-Baal situs ad austrum Hesbonis, Jos. XIII : 17. Nos cum Meiero vertimus: „Adscendunt Baith et Dibon ad colles.”

**לִבְכֵי** *ad fletum h. l. accipiendum, ut Hendewerk monet,*

1) Cf. GESENIUS, *Vorrede zu Grambergs Krit. Gesch. der Religionsideen des A. T. I*, XV sqq.

sicut c. I:5. **לְהַלֵּל**. Idem igitur est ac si **לְכֹבֶת** scriptum esset. Hitzig vertit „zur Klage,” ac si **לְנִיהָה**, vid. Jer. IX:17 et Amos V:16, scriptum esset.

**יְלִיל** *ululat*. Forma Hiphil servata, radicali pro **יְלִיל** a **יְלִיל**<sup>1)</sup>. Est, ut Rosenmüllerus monuit, verbum quod exprimit lamentantis sonum, qualia in aliis linguis similiiter reperiuntur. Ceterum hoc verbum saepius ita occurrit, uti c. XVI:2 et Hos. VII:14, deinde in prima persona **אִילִיל**, Jer. XLVIII:31, et secundâ **תִּלִּיל**, Jes. LXV:14. Vitrunga in primis discriminem urgit **בְּכָה** inter **יְלִיל** et **יְלִיל**; hoc enim significare putat luctum et comploratum hominum carnalium, et non solum proprie, sed etiam figurate esse accipendum de iis, qui nulla alia bona, nisi terrestria cognoverint, et igitur propter eorum amissionem non tantum flent, sed etiam ululant, sicut bestiae et ii, quibus nulla spes superest. Potius dicendum videtur **יְלִיל** significare illum luctum gravissimum, qui clamore et ulalatu se manifestat, cumque trepidatione et metu conjunctus est, cf. Gesenius in *Thesauro h. v.* **עַל** vero quod praecedit, ét de loco ubi plorant, ét de re, ob quam plorant, accipi potest; posterius praetulit Credner, minus apte ad sensum.

**רָאשִׁיו**; illa forma tantum hoc loco occurrit, tres codd. Kennicottiani et duo Rossiani habent **רָאשָׁ**; exstat quoque ita apud Jerem. XLVIII:37. Unus contra codex Rossianus **בְּכָל רָאשִׁים**. Est autem pro **רָאשִׁיו** ut apud Jos. XXIV:1. Hitzig putat eam formam usurpatam esse, ut duplex

1) Cf. GESENIUS, *Hebr. Gramm.* § 69, p. 133 seq. et EWALD, *Gramm. d. Hebr. Sprache*, 1838, § 284, ubi alia exempla. cf. etiam HITZIG ad h. l.

sonus *a* evitaretur. Tondere caput et radere barbam erant signa luctus, Jer. XVI: 6, Micha I: 6, non tantum apud Israëlitas, sed etiam apud alios populos, in primis Orientales, cujus rei exempla multa attulit Gesenius ad hunc locum.

**גְּרוּעָה** Plures codices et editiones apud de Rossi, et Jer. XLVIII: 37. habent **גְּרוּעָה**; Rosenmüllerus minus accurate contendit, significationem horum verborum eandem esse; nam **גְּרֻעַ** *cedidit, amputavit*, de caedendis arboribus usurpatur, Jes. IX: 9, et hinc de hominibus caesis adhibetur, Jes. X: 33, et nunc de barba dictum significat, eam ab iis, qui summa desperatione et gravissimo luctu affecti erant, non abrasam, sed evulsam, quasi amputatam, caesam esse, uti recte monuerunt Gesenius, Hendewerk, Meier, Drechsler. Facile caremus igitur conjectura Knobeli, qui **נ** vitiose scribendo cum **נ** permutatam esse voluit, in primis cum versio Graeca et Saädias **גְּרוּעָה** tueantur, vertentes *κατατετμημένοι*, **الجَدْرُوفُ**, Jeremias vero magis vulgari et usitato verbo usus est **גְּרוּעָה**, ubi Graecis *ξυριθήσεται*. Hitzig vero putavit **גְּרוּעָה** ex alicujus regionis peculiari sermone ortum<sup>1)</sup>.

Vs. 3. **חַיִּין בְּהַוַּצְתֵּי** proprio *murum*<sup>2)</sup> significat, deinde quod *extra domum* est, et sic *plateam* notat; animadvertisit vero, suffix. modo masc. modo fem. generis usurpatum esse, quod Maurer, Knobel aliique ita explicant ut masculinum ad *populum*, femininum ad *urbes* referatur, Hendewerk

1) Jam addit: „Wie auch im Ober-Deutschland HAUEN für *Schneiden* gesagt wird.”!!

2) Vid. GESENIUS in *Thesauro*, h. v.

vero hanc mutationem suffixorum propriam Jesaiae dicit, ut Propheta indicet nunc viros et mulieres pariter in publicum prodire.

**חָגָר בְּמַתְנִים** <sup>חָגָר</sup> quod proprie *cinxit* significat, uti 1 Reg. XX : 32, Ezech. XXIII : 15, hoc loco *induere* notat, quia hoc vestimentum cingulo constringebatur. **שָׁקֵךְ** vero, quia a **שָׁקֵךְ** *laceravit* derivatur, Aurivillio denotat *vestem scissam*, quam Hebraeis et aliis populis luctus fuisse indicium novimus, vidd. etiam III : 24, XX : 2, Apoc. VI : 12. Quale vero vestimentum eo nomine sit intelligendum descriptis Vitringa ad h. l. et ex eo Palmius I. p. 385.

**גְּזֹתִיתָה**, in tectis plorant, quia tecta in oriente plana sunt, ubi ambulare et versari solebant, et debebant ex praecepto Deut. XXII : 8, habere munimentum. De tecti usu Hendewerk h. l. multis exposuit. Homines enim se in tecta contulerunt, ut latiori gauderent adspectu, 2 Sam. XI : 2, ut de secretis colloquerentur, 1 Sam. IX : 25, 26, ut soli essent, et sacrificarent, Zeph. I : 5, Jer. XIX : 3, Act. Apost. X : 9. Vel etiam quum aliquid publicare vellent, 2 Sam. XVI : 22, Matth. X : 27, Luc. XII : 3. Ad lini trituram quoque tecto utebantur, Jos. II : 6, in eo tentoria ponebant, 2 Sam. XVI : 22, cf. 2 Reg. IV : 10, ut alicujus adventum praestolarentur, Jud. XVI : 27, vel ut se contra eum defenserent, Jud. IX : 51, 2 Macc. V : 12, ut aliquem adventantem e longinquo facilius adspicerent, 2 Sam. XVIII : 24, hinc etiam ut certiores se facerent de hostium adventu, quare Jesaias duobus locis, c. XX : 1, et h. l. memorat adscensum ad tecta, ut incolarum metum vivis quasi coloribus depingeret.

וּבְרָכַתִּיהָ sunt *loca late patentia*, quae multos recipiunt, et ad quae undique conveniunt. **כָּלָה**, Hendewerk putat esse Aramaeismum, pro **כָּלּוֹ**, Drechsler contra monet scriptio **הָ** saepius cum **כָּלּ** conjungi<sup>1)</sup>. Hoc loco vero notat *omnes*, qui ad ipsum populum pertineant, Knobel vero praetulit versionem *quisque*, ut c. I. 23.

**יָד בְּבָci**. Vario modo haec verba interpretati sunt eruditii. Ex iis Vitringa et Hendewerk de domum redeuntibus cum fletu intellexerunt, alii explicuerunt de gravi fletu, quo omnes quasi defluerent, quam interpretationem proposuit Schultensius<sup>2)</sup>, quem secuti sunt plurimi recentiores interpres. Saepius enim **יָדָ**, quod hoc loco de ipsis personis, alibi ita de oculis dicitur, et quidem **יָד רָמָעָה** Jer. IX:17, XIII:17, XIV:17 et **יָד מֵים** Thren. I:16, quare hoc potius sequendum. Praepositionem vero **בְּ** praemisit, non de oculo, sed minus audacter de homine dicens, cf. Gesen. in *Thesauro*. p. 624, quae alibi omittitur, quod Hitzigio et Maurero melius videtur et elegantius. Credner vero<sup>3)</sup> ad priorem interpretationem rediit. Putat **יָד בְּbci** per oppositionem dictum ad superius **עַלְהָ לְbci**; ut enim prioribus significavit scriptor, Moabitas flentes adscendisse in loca sua sacra, omniaque fecisse, quo deos sibi propitios redderent, eorumque implorarent auxilium, sic his verbis eum indicare, haec omnia frustranea fuisse, Moabitas a collibus suis, et templis et tectis, ubi cum ululatu et trepidatione deos in-

1) Cf. EWALD 1.1. § 421. et in primis ROORDA, *Gramm.* § 303 not. 1. ubi HAMAKERI de illa re sententia refertur.

2) In *Orig. Hebr.* L. I. c. VI. § 35. p. 97.

3) In diar. *Stud. u. Krit.* 1833. p. 796.

invocaverant, descendere. His tamen obstare videtur, ea, quae praecedunt, non tantum de precibus sacrisque peractis agere, sed universum luctum indicare, ita ut vix scriptor ita denuo ad illud **עלְהַלְכִי** derepente redire potuerit.

Vs. 4. **וְתִזְעַק**, clamare dicuntur vel ut aliorum opem implorent, vel potius prae dolore et metu; per metonymiam vero, quod incolae faciunt, urbibus tribuitur. Hitzigius perperam monet, hunc versum tantum enucleatus describere, quod brevius sect. praecedente dictum erat, nam scriptor pergit in describenda trepidatione urbium trans Arnonem sitarum, quae singulae diversis modis metum suum et anxietatem produnt. Drechsler vero monet haec verba **וְזַעַק הַלִּיל** et **קָוָלָם** etiam inveniri conjuncta c. XIV : 31.

**קָוָלָם**, Suffixum Plural. habet, quia incolae intelliguntur. **עַל־בֵּן**, Hendewerk subaudit **בֶּן־הַיּוֹת**, *quae cum ita sint*, ita ut praecedens sit causa ejus quod sequitur, ita etiam Meier, Drechsler, Hitzig et Knobel, quorum illi tamen causam clamoris esse putant totius terrae devastationem et urbium excidium, hic vero peculiariter desperationem Hesbonis, coll. Ps. XLII : 7, XLV : 3. Aliter Gesenius; qui intelligit **אֲשֶׁר**, ut vertendum sit, *propterea quod*, ut etiam Rosenmüller, vs. 7, coll. Genes. XXXVIII : 26, Ps. XLII : 7, XLV : 3, Jer. XLVIII : 36, ut **לְבִן** c. XXVI : 4.

**גָּבוֹרִי מֹאָב חַלְצִי** *fortes* notat, hinc Jerem. XLVIII : 41 sed proprie *cinctos*, **חַלְצִי** enim est *se accinxit*; ita nunc omnes explicant. Graeci legentes **חַלְצִי** verterunt **σφύνετης** **Μωαβίτιδος**; ita et Lowth et Koppius magnos clamores indicari putarunt. Aquila contra vertit **ξυάρμοι** **Μωαβί** i. e. cum nudis brachiis milites, nam **ξυάρμοι** est qui tu-

nicā non tegit brachia<sup>1)</sup>, quatenus virum, in primis militem, decet nuda brachia habere<sup>2)</sup>. Ceterum Symmachus, Chaldaeus, Hieronymus legerunt quoque חלצִי, quod Kimchius, apud Gesenium<sup>3)</sup> explicat: חנּוֹר כָּלִי, non male quatenus et חלצִים חלצִמָה בְּחַלְצִים lumbi a cingendo dicti sunt.

רֹעֵשׁ, verbum רֹעֵשׁ ét de gaudio ét de dolore usurpatum, Micha IV : 9, nostro loco de summo metu occurrit; simili-  
ter de Israëliticis militibus legitur c. XXXIII : 7.

לְוֹ, נֶפְשׁוֹ יְרֻעָה לְוֹ, Knobel intelligit animum Moabi, ad quem certe suffixum referri potest, attamen melius propter sensum, intelligi videntur verba cum Drechslero de ipsis fortibus, חלוצִים, ut נֶפְשׁוֹ, ut etiam לְוֹ, cum Hendewerk accipiatur collective.

Verbum יְרֻעָה ob paronomasiam cum יְרַעַת possum vi-  
detur. Syrus vero, Chaldaeus et Vulgatus hoc verbum  
non a יְרֻעָה; sed a רֹעֵשׁ derivant; contra Graeci οὐ ψυχὴ  
αὐτῆς γνῶσεται vertunt, quasi legissent יְרֻעָה. Quum יְרֻעָה  
alibi non occurrat, Gesenius nunc in Thesauro illud,  
collatis cognatis יְרֻחָה et יְרָא, explicit *tremuit* et inde *pavit*,  
*timuit*, quae notio quoque inest derivato יְרֻעָה *aulaeum*,  
*velum* a motu tremulo. Alii potius idem significare puta-  
runt ac רֹעֵשׁ, *malus* et inde *tristis fuit*, *dolore affectus fuit*,  
a quo etiam futurum יְרֻעָה 2 Sam. XI : 25, et alibi deriva-  
tur. Sic jam J. H. Michaëlis et Vitringa acceperunt. Utrum  
haec ultima pendeant a עַלְבָן nec ne, ambiguum est et

1) Vid. SUIDAS, T. I. p. 778, ed. KUSTER.

2) Cf. VIRGIL, *Aeneid*. IX. 616.

3) In *Thesauro*, p. 482.

potius cum Hitzigio ita intelligenda, ut simul transitum faciant ad sequentia.

Vs. 5. Propheta jam non amplius tantum describit, sed particeps fit doloris, quem enarrat; quae misericordia etiam alibi apud Prophetas occurrit, cf. c. XVI:11, XXI:3, 4, XXII:5, Micha I:8, Jer. XXIII:9, XLVIII:39. Pro **לְבָבִי** Graeci fortasse legerunt **לְבּוֹ**, vertentes **ναπόδια τῆς Μωαβίτιδος βοῶς**, quam lectionem secuti sunt Lowth, Michaëlis, Doederlein, quos jam refutavit Dathius. Ceterum, ut Gesenius monet, verbum **זַעֲקָה** h. l. et loco parallelo Jer. XLVIII:31, cum **לְ** construitur, alibi **עַל** plerumque usurpatur.

**בריהה**. Alii aliter hoc verbum legerunt et explicuerunt, Hieronymus enim vertit *vectes*, qua significatione sane **בריחים** occurunt Exod. XXVI:26, Ps. CVII:16. Qui eum tamen sequuti sunt, diverso modo illud explicuerunt. Nonnulli enim intelligunt: *viros fortes, milites*, qui tanquam vectes portas urbium tuentur; alii contra, ut Junius, *clausuras, munitiones*, vid. Amos I:5. Graeci vertunt **ἐν αὐτῷ**, legentes fortasse **בָּהּ**. Michaëlis<sup>1)</sup> denique putat **רֵיחָה** esse nomen urbis Jerichuntis, quam eo tempore a Moabitis occupatam fuisse censem. Si *vectes* vertas et de fortibus, principibus viris intelligas, durior est ellipsis verbi fugiendi, quare recentiores plurimi verterunt *fugientes* cum Chald. Saäd. et Kimchio ut **בריחין** sit a forma **בריח**.

**בְּכֶבֶי יְעַלְּהָבּוֹ**, Graeci, qui saepe aliud textum, quam quo nos utimur Masorethico, sequuti sunt, etiam h. l. le-

1) J. D. MICHAËLIS, *Biblioth. Orient.* T. XIV. App. p. 5, 6.

gisse videntur בְּ יַעֲלֵי, nam vertunt πρός σε ἀναβήσονται. Contra J. D. Michaëlis pro בָּנָה legendum putat בְּכִי, ex loco parallelo Jerem. XLVIII:5, quod vertit: „Weinen erhebt sich über Weinen.” Attamen nulla est causa, cur deseramus lectionem receptam, idque eo minus, si, ut Hitzig cum Maurero monuit, Jeremias בָּנָה pro בְּכִי posuerit propter sequens בִּי. Recentiores igitur omnes vulgatam tuentur. Ceterum illud duplex בִּי, nisi affirmative sumatur, erit referendum ad priora, causamque reddit, quare cor Prophetae lamentetur.

שֶׁבֶר וְעַקְתַּת-שֶׁבֶר est *clamor calamitatis*, qualem de ruina tollunt. Knobel *clamor de calamitate* explicat, qua jam affecti sunt, Meier cum Gesenio aliisque, *clamor calamitus*; cf. Hitzig ad XXII:5. Revera clamorem vehementem, anxium notare videtur de ruina et interitu, de quo saepius שֶׁבֶר usurpatur<sup>1)</sup>.

Vs. 6. Hic versus, ut Hitzig recte monet, per duo hemistichia, causam et naturam fugae et ejulationis indicat. Non tantum fugiunt, sed singuli sua secum undique ferunt, patriam relinquentes, cum omnibus, quae per meliora tempora collegerint, ne ab hostibus deripiantur. Graphice omnino his versibus fuga depingitur.

Est vero מִשְׁמֹות non cum Gesenio per abstractum pro concreto explicandum, sed potius ut Propheta gravius exprimeret totam devastationem, quum non pro certo constitui possit, utrum hic sermo sit de devastatione per hostilem impetum, quum hostes fontes obstruxerint, quae Hitzigii

1) Vid. II. ap. Gesenium in *Thes.* p. 1358.

Pialmiique est sententia<sup>1)</sup>, an vero de calamitate e fuga  
ncolarum orta, nam utrumque significare posse videntur  
haec verba, cf. 2 Reg. III:19, 25, Jes. XIX:5 seqq., XXIV:  
4, 7, IX:5. Apud Jer. XLVIII:34 legitur **לִמְשׁוֹת**.

Pulchra nunc sequitur oppositio. **חַצֵּיר** enim est gramen  
viridum, aptum pabulo pecoris, quod facile arescit, quum  
careat aqua; **דְּשָׂא** vero est herba tenuis, tenera, quae  
tota periit, **כַּלָּה**, sub pedibus hostium vastantium. Gesenius  
ex Gen. I:11, 12, Prov. XXVII:25 colligit **דְּשָׂא** usur-  
pari praecipue de gramine, quod semine (saltem conspi-  
cuo) careat, herbisque tenuioribus, quales in agris sponte  
et sine semine nasci credebantur, bestiis magis quam ho-  
minibus cibum praebiturae, **עַשְׂבָּה**, vero, *herba virens*, olera  
hominibus pro cibo assignantur.

**יְרָק** **לֹא** **הָיָה**, hic sane non possumus non assentiri  
Drechslero, quum animadvertis, quam pulchre Propheta  
procedat, nunc ultimo loco **יְרָק** ponens, ut ostendat nil  
viridum superesse, nullum superesse pristinae fertilitatis  
Moabiticae indicium.

Vs. 7. **עַלְבָּן** non ad proximum versum referendum,  
nam tum fuga locum habere videretur, quia nihil pabuli  
remanserat hominibus aut bestiis, sed potius ad superiora,  
ad hostium devastationem, vel potius ad omnia, quae huc-  
usque Propheta retulerat. **יְתָרָה** **עֲשָׂה** pro **יְתָרָה** **עֲשָׂה**

Verbum **יְתָרָה**, hic et Jer. XLVIII:36 occurrens, idem  
est ac **יְתָר** Psalm. XVII:14, notatque id quod reliquum  
est, quod superest. Dubitatur vero quo referendum sit

1) Cf. ABULF. *hist. anteisl.* p. 84.

verbum עַשְׂתָה. Vitrunga aliique de hostibus cogitarunt, alii de Moabitis, quod potius sequendum, quia, Gesenio recte monente, verbi עַשְׂתָה usui magis est accommodatum, quod quidem saepius *acquirere, comparare* notat, ut קָנָה, e. c. Gen. XII: 5. XXX: 30. Deut. VIII: 17, 18, vix vero cum Aurivillio verti potest *reliquum, quod fecerat hostis,* quo sensu non occurrit.

**ופקרתם**, Aurivillius putavit פִּקְרָה significare *rem quamlibet, fugientibus sub oculos cadentem*, sed פִּקְרָה, quod proprie *lustrationem* notat, de cura quoque et providentia Dei usurpatur, Job X: 12, ubi Schultens, p. 274 monet, etiam idem significare ac פְּקָדוֹן *depositum*, Gen. XLI: 36, nempe *id quod custoditur*, quae significatio nostro loco aptissima est. Sic non multum differt a עַתִּידֹת c. X: 13. Hitzig vero putat opes, quarum mentio h. l. fit, pro maxima parte constitisse frumento ex Jerem. XLI: 8 et narratione peregrinatorum, qui referunt in his regionibus saepe frumentum per decem annos in cellis subterraneis conservari. Suffixum vero in יְשָׁאֹם referendum ad יְתָרָה et פִּקְרָה, quae praecedunt. Illi vero, qui asportant, non sunt hostes uti nonnulli putarunt, in his Palmius, nam quid hostes faciant, h. l. non describitur, sed sunt Moabitae fugientes. Porro monet Drechsler hic magis migrationem, quam fugam populi depingi, quasi spem omnem in regionem suam devastatam revertendi abjecerint. Huc denique Meier refert, quae de Moabitis tanquam volucribus nido expulsis et vagantibus c. XVI: 2, dicuntur, qui propterea illum versum cum hoc versu conjungendum putat.

Vs. 8. Hoc versu, ut monuit Knobel, nova describi-

tur causa fugae vs. 5 memoratae, nisi mavis dicere בַּי affirmative sumendum, ita ut ipsa fuga describatur ulteriorius: omnia clamore resonant et ejulatione eorum, qui sua asportantes in fugam se proripiunt.

הַקִּפָּה vero notat *circum dare*, eamque significationem h. l. tuentur Drechsler aliique. Fortasse tamen praestat redire ad percutiendi, contundendi notionem, quae verbo inest, ut indicetur clamorem resonare per fines regionis et quasi contundere fines. גְּבוֹל, enim est terminus, quo regio a regione distinguitur, ejusque quasi margo; si igitur ad terminos usque clamor pertingit, eosque contundit, nulla jam regionis pars superest, qua non audiatur. Hoc nunc repetit gravius duo loca ad terminos sita nominando. Repetitio igitur verbi לְלִתָּה significationem auget, ut haec etiam invenitur Gen. XLIX: 22. Exod. XV: 6 hoc cap. vs. 1, c. XVI: 7, LIII: 7, Jud. V: 12, quae satis docent nullam esse causam, cur cum Lowthio posterius לְלִתָּה aut cum Koppio prius expungamus, quia Graeci alterum tantum posuerint. Ceterum in multis libris scribitur לְלִתָּה sine mappik, quod Aurivillius praetulit, sed recte Gesenius monet, saepius in codd. hoc signum negligi, ubi tamen הַנְּ pro Pronom. suffixo habenda est, ut Exod. II: 3, IX: 18, Amos I: 11, Jes. XXI: 2. Praeterea omnes versiones sic h. l. הַנְּ acceperunt; quod suffixum respicit, ut Knobel monet, ad gentem Moabiticam, non vero ad עֲקָה.

Vs. 9. Denique Propheta causam denuo fugae non tantum repetit, sed etiam summa vi auctorem cladis indicat, ipsum Deum, qui hanc cladem Moabitis denuntiat, qui magna et miranda iis faciet, qui hostem iis immittet ipse.

Propterea clades est tam magna, omneque deficit remedium nec resistere poterunt.

**נָסְפֹת** Knobel, Gesenius, Maurer, Hendewerk, alii Vulgatae assentiuntur vertenti *additamenta*. Grotius interpretatus est; *novas dabo causas, cur is fluvius merito ita vocetur*, ut respiciatur ad nomen **דִימוֹן**, alludens ad **דָם**. Alii intellexerunt de aquarum incremento, ut Palmius. Prima interpretatio praeferenda est; nam Propheta concise simul et poetice expressit, non hoc tantum Deum effecturum, ut a sanguine rubeat Dibon, jam Dimon dicendus, sed se alia nova additurum, quae quidem deinde indicantur, nempe iis, qui effugerint, *leonem immittet*, iisque qui in terra supermanserint.

**אֲרִיה**, hoc nomine Vitrunga Nebucadnezarem indicari putat, eodem nomine dictum etiam Jer. IV:7. Aurivillius Moabum ita appellari censet; quae explicatio est sane longius petita. Hostilem vero regem vel potius hostes universe per **אֲרִיה** significari, est satis manifestum. Cf. Levit. XXVI:22, Jer. V:6, XV:3.

## C A P U T XVI.

Vs. 1. Nova nunc incipit periodus. Quid faciendum in summâ omnium trepidatione, ut salutem sibi quaerant? Et statim quidem iis suadet Propheta, ut a Judaeis nunc auxilium petant, seque, tributum ferentes, cum iis conjungant. Umbreit et Knobel tamen putant verba esse ipsorum Moabitarum, quos poenituerit suae pristinae superbiae, quod minus placet. Hitzig verba **שְׁלַח־כָּר**.

Edomitis tribuit, et quae vs. 3 leguntur, tanquam verba Moabitarum intelligit, qui obtemperaverint consilio, sibi dato. Pro כָּר nonnulli codices, ut et Syrus, habent כָּר ac si iis Propheta suaderet, ut כָּר filium, filium regis Moabiti mitterent, auxilium petendi causa; quam explicationem Lowth, Koppius, Eichhorn aliique tuiti sunt. Quum tamen notum sit, Moabitas Davidi tributum solvisse, 2 Sam. VIII : 2, sed postea hoc tributum recusasse, 2 Reg. III : 5, et praeterea terra Moabitica abundaret pecudibus, sane non est quod lectionem mutemus, quam et Rosenmüller, Gesenius, Umbreit, Hitzig, aliique retinuerunt, et ante eos etiam Vitrunga. Nec faciendum cum Hoheislio<sup>1)</sup>), qui missionem agni explicat e more veterum agnum mittendi, quum bellum incepturi essent<sup>2)</sup>, ad bellum igitur indicendum, sed, quum Gesenius recte moneat, nullum esse hujus moris vestigium apud Hebraeos, etsi in usu apud Athenienses fuit, uti ex Hesychio efficitur, potius cum Gesenio, Drechslero aliisque, כָּר collective sumendum est, tanquam tributum, quod regibus Judae jam antiquitus solverant.

**מֶשְׁלָךְ-אַרְצָן** Lutherus et Rosenmüllerus per vocativum explicant, ut ita reges Moabitici intelligentur, quos, infestos semper Judaeis, 2 Reg. XIII : 20, Jes. XXV : 10, Zeph. II : 8, nunc irrideat Propheta. Potius pendent illa verba a כָּר, ut sit tributum, quod solvendum domino terrae, quo nomine rex Judaeorum significatur, cui Moa-

1) HOHEISELIUS, *Observatt. philologico-exeget.* p. 125.

2) Cf. DIOGENIANUS, *Proverb. Centur.* II, n°. 69, p. 197 et MICHAËLIS APOSTOLII *Proverbia*, Centur. IV, n°. 45, p. 47.

bitae tributum solverant, sed a quo defecerant, cf. supra p. 20. Regem vero Hendewerk, ex sua sententia de aetate editi oraculi, intelligit Hiskiam. Alii de rege Moabitico cogitant, uti Palmius, ut sit ejus tributum. Rex Judaeorum vero hoc loco nominatur, paulo superbius, ut Gesenius vult, *dominator terrae Moabiticae*, vel quia nonnulla loca, quae antea in ditione Judaeorum fuerant, nunc Moabitae occupaverant, vel potius, quia Moabitae illi tributum solverant, illi debitum esset tributum. Hitzig vero et Maurer per אֶרְאָן intelligunt Idumaeam, quae tum regi Judae parebat, devictam ab Amasja, 2 Reg. XIV : 7. Non vero, ut recte animadvertis Drechsler, de rege decem tribuum cogitandum. Quia vero e Sela mittere debebant, id debebat mitti per desertum Judae. Alia via iis erat per hostes praeclusa.

Vs. 2. Causa, quare hoc suadeat Propheta, erat instans fuga hostiumque incursio, qua brevi, avium instar, quas nido expuleris, asylum querere deberent. Hendewerk vero hunc versum ita cum praecedente cohaerere putat, ut quae hoc versu dicuntur, oriuntur ex neglecto consilio Moabitis dato, ut ita explicandum sit: „Nolitis mittere agnos, igitur” etc. Ceterum haec comparatio fugientium cum avibus vagantibus et alibi invenitur, Ps. XI : 4, Proverb. XXVII : 8, Jes. X : 14, Nah. III : 17.

**קַן מִשְׁלָח**, *nidus excussus*, Gesenius et Maurer putant, h. l. et Deut. XXXII : 11, **קַן** indicare pullos avium, qui in nidis sunt, et expelluntur, quo tamen nec h. l. nec ibi opus videtur. Haec enim sibi apposuit **עֹזֵף נֹזֵד** et **קַן מִשְׁלָח** praegnanter, quia aves vagantur, ubi njus in terram

dejicitur, excutitur, atque ita nunc, urbibus captis et deletis, vagantur incolae.

**בָּנֹות מוֹאָב** Hieronymus, Rosenmüllerus, Knobel et Hitzig intelligunt de ipsis urbibus, vel potius pagis et vicis Moabitarum, ut alibi haec locutio interdum usurpat, e. c. Num. XXI: 25, Jos. XV: 45, fortasse etiam Ps. XLVIII: 12, nostro tamen loco **בָּנֹות מוֹאָב** potius de incolis, de populo Moabi explicandum esse jam monuit Vitrunga, quem hac in re secuti sunt Umbreit, Gesenius, Drechsler et Hendewerk, qui addit saepe totum populum sic feminae instar proponi, idque eo facilius, quia saepe natio sub imagine feminae depingitur, cuius rei multa affert exempla, e. c. Nah. III: 4—6, et Jes. XXIII: 12, 16, ubi de Nineve et de Tyro sermo est, tanquam de meretrice, cf. Jes. XLVII: 1—8, L: 7, LXVI: 8—11, Jer. XLVI: 11, Thren. IV: 22, Ezech. XXIII: 2—22, Hos. II: 2, Psalm. XLVIII: 12. Optime tamen verba, quibus utitur Propheta de avibus vagantibus, conveniunt cum ea interpretatione verbi **בָּנֹות**, quae in propria significatione consistit, ut de filiabus et mulieribus Moabiticis intelligamus, quae in primis, trementes et vagantes, trans Arnonem aufugiant.

**מִעְבָּרוֹת**, *vada*, Ewaldus quidem accepit poetice positum de incolis apud Arnonem habitantibus, sed alii aptius de loco intelligunt, ubi vagantur filiae Moabi, nempe ad vada Arnonis, ut sic aufugiant.

Vs. 3. Non eodem modo interpretes hunc versum et duos sequentes explicuerunt. Etenim alii quidem haec acceperunt tanquam consilium, a Propheta Moabitis datum,

ut non tantum tributum solverent, sed benevolentia etiam et fide eorum colerent amicitiam, a quibus solis auxilium sperare possent, ita ut simul oblique eos increparet, qui non semper ita egissent; ita Vitrunga, Palmius quoque et nunc Drechsler. Alii his verbis mandatum contineri putarunt, quod legatis Moabiticis datum proponeretur, ut his verbis a Judaeorum rege peterent auxilium. Alii vero iisque plures numero, ut J. D. Michaëlis, Lowth, H. E. G. Paulus, Eichhorn, Ewald, Meier, Gesenius, Rosenmüller, Maurer, Hitzig, Knobel, Hendewerk, Umbreit, ita explicuerunt, ut vs. 3—5 legatos Moabitarum mandatum, coram principibus Judaeorum, eloquentes audiamus, ipsosque Moabitas auxilium implorantes inveniamus. Si meam mihi opinionem proferre liceat, Prophetam, qui iis consilium dederat, ut a Judaeis peterent tutamen, nunc sibi in mentem revocare putarem, quomodo ante similiter Judaei apud Moabitas asylum petiissent, quod superbe iis fuisset negatum, adeo ut haec ipsa clades jam superbiae istius fuerit poena, quam nec amplius, tributum mittentes evitare possent. Refert ipsa Judaeorum verba, quibus tum usi fuerint, quasi eos praesens denuo audiat, et suam mox vs. 6 orationem ita convertit, acsi inter ipsos fuisset, qui tum auxilium Moabitarum imploraverant. Haec enim explicatio optime ipsis verbis convenire videtur, cf. quae supra p. 43 diximus. Quibus nunc hoc addendum, aliorum opinioni obstare ipsam orationem, quae ad Moabitas directa, eos exhortaretur ad auxilium et asylum praestandum, quo tempore ipsi ab hostibus oppressi, in fugam conversi, summa clade affecti essent, adeoque aliorum deberent invocare benevolentiam, quod minus aptum videtur. Si vero

verba illa Moabitis tribuas eorumve legatis, ea, quae vs. 4 et 5 de restitutione regni Judaici leguntur, aliena sunt ab eorum petitione. Praesens enim auxilium implorant, non futurum, non ab oppressis, post restituendis, sed a validis et fortibus. Nolumus tamen quidquam affirmare, videant alii, an nostra explicatio probabilis videatur.

In verbis **הַבִּיאוּ עֲצָה**, *adducite consilium*, Gesenius et Rosenmüllerus **לְנוּ** intelligunt, pro **הַבִּיאָה** tamen Masorethae legendum monent **הַבִּיאָה** ut sit fem. sing. quod Vulg. et Syrus sequuntur. Ex Meieri opinione Sion esset, quam alloquerentur Moabitae. Putaremus ad populum Moabitidis orationem esse directam. Qui vero haec verba a Propheta dicta habent, vertunt, ut Hieronymus: *ini consilium*, non nobis igitur, sed vobis ipsis consilium date.

**עֲשׂוּ פְּלִילָה** a **פְּלִילָה** *disjungere*, *discernere* significat, ut vult Hendewerk, decretum de vita vel morte, sed, secundum Drechslerum, id indicat auxilium et quidem activum s. interventionem, ita ut opponatur consilio, **עֲצָה**. Etiam Meierus de interventione armata intelligit, Hitzig vero putat, Moabitas tantum rogasse intercessionem, ut Judaei inter Moabitas eorumque hostes intercederent, nec sinerent hos eorum fines transgredi, sicut Exod. XIV: 20. **מֶלֶךְ הָאֱלֹהִים** dicitur se posuisse inter Aegyptios et Israëlitas. Ceterum iterum Masorethae legendum monent **עֲשֵׂי**.

Verba **שִׁיתִי כְּלִיל צָלֵךְ בְּתוֹךְ צָהָרִים**, *pone tanquam noctu umbram tuam in media meridie*, imaginem continent Orientalibus usitatissimam, ubi umbra, quae ab aestu solis defendit, saepissime auxilii infelicibus et inopibus praestiti imago habetur.

**שִׁיתִי** femininam formam habet, ut monet Drechsler,

quia populus Moabi, tanquam femina proponitur. — צָל  
aliis V. T. locis saepe quoque exprimit ea, quae caduca  
et fluxa sunt, ut Job VIII: 9, XVII: 7, Ps. CII: 12,  
apud Jesaiam vero semper habet notionem *auxiliandi* et  
*recreandi*, ut c. IV: 6, XXV: 4, XXX: 2, 3, XXXII: 2,  
uti etiam h. l., et saepe apud alios quoque haec imago occur-  
rit e. c. Gen. XIX: 8, Ps. XVII: 8, Ps. CXXI: 6, Apoc. VII :  
16, 1 Petr. IV: 12. — Hendewerk, secutus Ewaldum, expli-  
cat dualem צָהָרִים, quatenus meridies constet duabus quasi  
partibus, ex tempore ante et statim post quam sol in cul-  
mine coeli steterit. Gesenius tamen hoc improbans intelligit  
lumen duplex i. e. splendidissimum. Hitzig autem  
בְּתַזֵּק conjungit cum בְּלִיל, non cum שִׁתִּי. Jam directis  
verbis utitur Propheta, pergens: סְתַרֵי נְדֹחִים נָזֶר אַלְתָנֵל,  
quibus Propheta rogat, ut abscondant eos, qui nondum  
latebras invenerint, eos vero, qui jam in latebris sint,  
ne prodant; גָּלַה similiter occurrit Jer. XLIX: 10, Prov.  
XI: 13. Meier non, sicut Knobel, de proditione vult  
cogitari, sed potius de auxilio negando. Vitrunga et Drechs-  
ler h. l. monent, Israëlitas saepius refugium quaevisisse  
in terra Moabitica, inspicias e. c. Ruth I: 1. 1 Sam.  
XXII: 3, 4, cf. Jer. XL: 11.

Vs. 4. Per ipsam iterationem rogationis significatur sum-  
ma necessitas, qua rogantes et precantes premuntur, eo-  
rumque vehemens auxilii desiderium, et eo quidem gravior  
est et minus ignoscenda superbia, qua hoc negatum fuit.  
Propterea quoque Jesaias verbis cum delectu usus est.  
Verbum גָוָר notat *peregrinari*, *peregrini instar versari*, hinc  
בְּגָוָרְךָ, *versari liceat apud te profugis meis*,

*o Moab!* Interpretes, qui haec verba adscribunt Moabitis, aut, uti Gesenius, Rosenmüllerus, Hendewerk, de Wette puncta non mutant, et verba **נְהַחֵי מוֹאָב** sic conjungunt ut significant: „*profugi mei, Moabi,*” aut **נְהַחֵי מוֹאָב** habent antiquam terminationem pluralem in statu constructo, ut Maurer, aut denique, ut Hitzig, Knobel, Meier, Ewald, Umbreit, praeeuntibus LXX, Chaldaeo, Syro, legunt **נְהַחֵה**, ut sint: „*profugi Moabi.*” Vitringa, Palmius et Drechsler verba retinent et iis quoque **מוֹאָב** est vocatus. **נְהַחֵח** *expulsum, profugum* notat quoque XXVII:13, Jer. XXX:17, XLIX:36.

In sequentibus **שׂׂדֵךְ** est *oppressor, invasor*, qui subito invadit et opprimit et depraedatur, cf. c. XXI:2, XXXIII:1.

Nunc causa additur, quare facile et tuto iis auxilium praestari possit. Illi enim, qui nunc oppressi ita opem implorant, certo sciunt brevi post se ab oppressoribus liberatum iri, feliora sibi futura tempora, ipsorum regnum tandem restitutum iri. Drechsler putat respici ad tempus, quando omnes victi erunt inimici et regnum gloriosum Judaeorum condetur, cf. IX:3—6. Tria vero membra pendent a **כִּי** et parallela sunt, non inter se conjuncta, ut etiam alibi occurrunt. Aliter tamen Hitzig, cui magis placet, **כִּי** indicare aliquid, quod fieri possit, et haec constituere prodosin, sequente apodosi vs. 5, quod vix cum natura particulae **כִּי** convenit. Utitur vero praeteritis **תָּמָם, בָּלָה, אַפְסָם**, ut indicet certe hoc eventurum, ut licet futurum etiam nunc, jam proponi possit ac si factum esset, cf. V:13, IX:12.

**הַמִּין**, Potius *oppressor* vertendum est quam *oppressio*, quum articulus appositus sit; derivatur a **מְרַץ** *exprimere,*

et proprie igitur significat *emunctorem*, Chaldaeus vertit,  
**מַעֲקָן**, *hostis*, cf. Prov. XXX: 33.

**רִכְסָם**, pro *hostibus ferocibus* collective hic positum, vid.  
c. V: 23, XVII: 13. Haec constructio singularis nomi-  
nis cum verbo plurativo numero in primis apud participia  
invenitur, ut Ps. LXVIII: 31; nec tamen tantum, e. c. Jes.  
III: 10. Idem fere invenitur Jer. XXIX: 20. — **תִּפְאֹרֶת**  
vero notat *finitus est, cessavit*, ut Deut. II: 16, Psalm. IX:  
7. Si vero haec verba Judaeis tribuantur, auxilium implo-  
rantibus, cogitavit scriptor in primis de Rezino et Pekacho,  
qui id temporis Judaeos oppresserant, atque tum verba  
**מִזְדְּחָרֵץ** de terra Judaica accipienda sunt et conjun-  
genda cum **תִּפְאֹרֶת**; vid. XXIX: 20.

Vs. 5. Coccejus quondam, quae hoc versu occurrunt,  
typice quidem regnum Hiskiae et Maccabaeorum indicare  
putavit, mystice vero regnum Jesu Christi; quod ge-  
nus interpretandi Vitringa, etsi illud non prorsus rejicit,  
tamen professus est, sibi nimis vagum videri et incerta  
certis miscens. Umbreit quoque putavit hoc loco quodam-  
modo respici ad exspectationem Messiae. Multo aliter  
Ewald, qui putat, Moabitas hanc afferre causam, quare  
nunc foedus inire velint cum Judaeis, quia scilicet bonus  
Princeps iis nunc praesit, cum antea perversus regnasset,  
quocum nil sibi commune esse voluissent, qua in re jam  
ostenderent superbiam suam; cui eatenus assentitur Meier,  
ut putet Moabitas nunc Uzziam regem laudare, rejicere  
vero, idque jure, timidos, qui eum praecesserant reges.  
Knobel ita eos loqui censet, ut benevolentiam captent; Ge-  
senius, Rosenmüller, Hitzig et Maurer haec de felicitate

et fortuna intelligunt, quae Judaeis contingere, si Moabitis opitularentur; ita etiam Hendewerk, qui monet hac in re cum hoc loco comparari posse 2 Sam. VII:12, 13, 1 Reg. IX:5, 1 Chron. XVIII:14, XXIII:10. Ceterum illi quoque videtur Hiskia significari, et ex iis, quae leguntur Ps. LXXXIX:15, de throno Jehovahe, ut et e collatione huius loci cum c. XI:4, 5, etiam ille concludit, nos in his verbis revera aliquo modo spem et expectationem aevi messianici expressam invenire. Et revera, si haec verba tanquam a Judaeis prolati accipiamus, videtur Propheta iis spem et expectationem indicare voluisse, quae apud eos, ubi summis etiam malis premebantur, supererat ob divina promissa melioris aevi futaraeque restitutionis regni sub rege, e stirpe Davidica oriundo.

**וְהָזֵן בְּחַסֶּד כֹּפֶא**. *Confirmabitur per clementiam thronus* cf. 1 Reg. II:45. Drechsler putat **כֹּפֶא** et respicere ad IX:6, **חַסֶּד** vero varie explicatur. Etenim Knobel intelligit de amore populi, 2 Sam. III:8, XVI:17, Hitzig potius de clementia, et ea quidem, quam ostenderent Judaei erga Moabitas, nam **בְּחַסֶּד** de ipsa illa benevolentia accipiendum esse monet, quam nunc implorent; coll. Micha VI:8, Hos. VI:6, 2 Sam. X:2. Rosenmüllerus intelligit de clementia illius regis, qui insidebit throno, ad quam sententiam probandam provocat ad Prov. XX:25 et Ps. LXXXIX:15, ubi virtutes Dei, qui tanquam rex propinatur, recensentur, cf. Jer. IX:24, tum **חַסֶּד** absolute h. l. usurpatum, referri commode non posse putat, nisi ad personam, de qua agitur, nam „si de gratia et clementia Dei esset sermo, vates haud dubie scripsisset s. **בְּחַסֶּד יְהֹוָה אֱלֹהִים.**” Contra Drechsler propriæ de gratia divina in-

telligit, per quam thronus constituatur, cui sententiae favere videntur loci 2 Sam. VII:15, Jes. LV:3, Ps. LXXXIX:34. Idem vero putat illum, qui throno insidiebat, esse notum illum regem pacis, ex c. IX:5, XI:1—5. Meier autem injuriā, ut probet, Prophetam narrare, quae locum jam olim habuerant, affirmat haec perfecta minime ad id, quod etiamnunc futurum est, referri posse, nam potius ea adhibuit scriptor, ut certam spem et exspectationem loquentium indicaret, qui futura, quasi jam acci-  
dissent, proponunt, cf. Roordae *Gramm.* § 356, 399.

**אָמֵת** a Rosenmüllerō, Meiero et Drechslero vertitur „*fides*,“ integritas animi, studium veritatis, quod appareat in moribus, religiositate et in dictis factisque omnibus, quo sensu etiam regi Hiskiae tribuitur, 2 Reg. XX:3, 2 Chron. XXXI:20, ut quoque *gratia* et *fides* conjunguntur Ps. LI:8, LXXXIX:15. Hitzig tamen et Knobel vertunt: *cum firmitate et stabilitate, perpetuo, sine fine*, provocantes ad c. XXXIX:8 et Jer. XIV:13; Hendewerk utrumque conjungit, monens, h. l. indicari praestantiam moralem, qua cernitur dignitas regis, quacum conjuncta est notio perpetuitatis et firmitatis, quaeque jam significatur huius versus initio per **הַזְּבִּין**, *firmatus, stabilitus est*.

**בָּאֲהָל דָּוִד**. In tentorio Davidis. Knobel intelligit haec de domo praefecti Idumaeae, successoris illius praefecti, quem praeposuisset David, postquam Idumaeam sibi subjecerat, 2 Sam. VIII:14; praefectum enim ibi praefuisse tempore Josaphati, legitur 1 Reg. XXII:48, cuius tamen filio Joramō regnante, Idumaea a Judaeis defecit et suum nacta est denuo regem, 2 Reg. VIII:20, postea etiam per aliquod tempus in Judaeorum ditione fuisse

videtur, sed saltem post invasionem Syrorum et Israëlitarum Judaei non amplius Idumaeam sibi subjectam haberunt, 2 Reg. XIV : 7 seqq., XVI : 6, 2 Chr. XXVIII : 17. Haec tamen Knobeli sententiae non obstant, qui nostrum oraculum adscripsit scriptori vetustiori, qui illud ediderit, quum Edomitae Judaeis essent subjecti. Attamen jam monuit Meier, ipsa verba ei obstare, nam *sedere in throno* de praefecto dici non potuit. Ipse Meier, cum Gesenio, Rosenmüller o aliisque, intelligit arcem Davidicam Hierosolymis, ut sit pro **בֵּית דָוִד**, nomine ducto ex memoria vitae pastoriciae, cui gens Davidis operam dedit aliquando, cf. 1 Reg. VIII:66, Ps. CXXXII:3, Am. IX:11. Utuntur vero iis verbis **בְּאַהֲלֵי דָוִד**, quia certo confidunt ex gente Davidis nasciturum, ejus locum occupaturum, qui feliora tempora Judaeis adducet, qui aliquando, caput ejus gentis, in ipsius tentorio iis praeerit.

Rex vero ille **שֶׁפֶט** nominatur, *judicare* enim praecipuum officium regis erat, vide 1 Sam. VIII:5, ubi populus regem desiderat, qui sibi jus dicat. Hinc saepissime ob justitiam quoque reges laudantur apud Hebraeos, cf. Jes. XI:4, atque flectere jus inter gravissima peccata refertur. Hoc vero loco rex judicis instar sedens in solio regio proponitur, qui querelas subditorum audiat iisque jus dicat. Perperam igitur Knobel ex hoc verbo praefecti notionem derivat.

Vocatur porro: **דָּרְשֵׁנָמִשְׁפָּת**, *et persequens judicium*, ut significetur, eum non tantum judicare, sed etiam antequam judicet, causas inquirere, ut sic jus investiget, simulque inquirat, utrum forte et alii sint, qui justitiā indigent. — Vocatur denique **וּמִהָּרֶצֶדֶק**, *festimans ad justitiam*,

quia non modo omnibus jus dicit, sed etiam hoc facit statim, et continuo illud exsequatur, cf. Prov. XX: 28.

Vs. 6. Judaei, auxilium quum ipsi a Moabitis petissent, repulsam tulerant. Superbe iis negatum fuit omne auxilium. Hoc nunc in memoriam Propheta revocat, causam sic clavis Moabiticae simul indicans, quatenus haec superbia, hoc odium in Judaeos effecit, ut nunc de iis poenam Deus exigeret. Alii haec verba Judaeis, alii vero Deo, vel ipsi Prophetae tribuunt; superbia vero Moabitarum secundum Ewaldum se prodidit ipsis verbis praecedentibus, quibus Moabitae auxilium rogassent. Hitzig, Knobel, Meier, Rosenmüller aliquique contra putant, Judaeos quoque illam superbiam expertos fuisse, aliquando ipsi in calamitate versantes. Ad superiora tamen respici, videtur indicare sequens שְׁמַעֲנָנוּ, *audivimus*, vel, secundum Meierum, *experti sumus* sive *cognovimus*, quod ceteroquin non habet, quo referatur. Ceterum גָּאֹז fastus Moabi etiam memoratur, c. XXV:11, Zeph. II:8, Jer. XLVIII:7.

גָּאֹז pro גָּאֹז. c. II:12, Jer. XLVIII:29, Hitzig, deficiente articulo, supplere vult אִשְׁר; Drechsler tamen tanquam appositionem conjungit cum גָּאֹז-מֹאָב. Meier pro adjectivo habet, quod refert ad Moabum, sed Knobel potius ad גָּאֹז, quod praferendum videtur.

Variis verbis גָּאֹז וְגָאֹזֶנוּ וְעַבְרָתָו, Propheta petulantiam Moabitarum describit. עַבְרָה quoque hoc loco non est *ira* ut c. IX:18, XIII:9, 13, XIV:6, X:6, sed potius *superbia*, *fastus*, coll. Ps. VII:7, Jer. XLVIII:30.

לֹא־כָּן. Non recta i. e. *vana*, לא enim, ut Latinorum *haud*, substantivis additum usurpatum, ut contrarium indice.

tur<sup>1)</sup>, vid. Ezech. XX : 25. Jer. V : 7. In primis saepius cum בַּן jungitur, ut *non rectum* i. e. vanum indicet, Prov. XV : 7, Jer. XXIII : 10, 2 Reg. VII : 9. Knobel haec verba per appositionem explicat, Drechslerus contra melius novam periodum constituere putat.

Vana sunt Moabitarum בְּדִין, *falsiloquia*, c. XLIV : 25, Job XI : 3, Jer. XLVIII : 30, Zeph. II : 8—10. Henderwerk monet בְּדִים non esse *mendacia*, sed talia dicta sive commenta, quae veritatem excedunt, falsa, cf. Schultens ad Jobum, p. 286. Illa autem falsiloquia erant ipsa illa verba, quibus nunc Judaeorum amicitiam expetebant, tributum mittentes, quasi amicitiam eorum quaerentes, quum revera semper eos odio habuissent.

Vs. 7. Nunc Propheta redit ad cladem Moabitarum describendam, quam evitare frustra nunc tentarent, quam superbia sua et odio sibi pararant et, ut vs. 6 superbia Moabi, sic 7—12 eius humiliatio proponitur.

**לֶבֶן יָלֵיל מוֹאָב לְמוֹאָב**, *Propterea* i. e. propter hanc superbiam, *ejulabit Moab de Moabo*. Hieronymus ל vertit ad, in Comm. addens: „id est, populus ad urbem vel metropolis ad provinciam.” Melius tamen intelligimus, ut ipsi de se lamententur, cf. Gen. XIX : 24, Zach. XII : 6, Jes. XIX : 2.

**כָּלָה יָלֵיל** cuncti ejulabunt ut c. XV : 3.

Pro **לְאַשִׁישִׁי**, Jer. XLVIII : 36, אַנְשִׁי. Quamobrem nonnulli cum Chaldaeo sumunt de *viris* s. *heroibus*, ut et

1) Vid. N. G. SCHROEDERUS, *Syntax. Reg.* XCIV, b. γ. ROORDA, *Gramm.* §. 576. GESENIUS, *Thes.* p. 734.

Stier<sup>1)</sup>). Graecus: τοῖς κατοικῶσιν vertit, sed aliter Symmachus: τοῖς εὐφραινομένοις, quod secutus est Hieronymus; Genesius vertit *fundamenta*, praeeuntibus Syro, Jarchio et Kimchio, existimantibus אֲשִׁישִׁים significatione non differre ab אֲשִׁיּוֹת Jer. L:15, quod convenit cum Aramaeo אֲשִׁיא, *fundamenta*, Esr. IV:12, V:16. Fundamenta vero pro *ruinis* posita putant, quia domibus dirutis fundamenta tantum remanent, ut etiam, Jes. LVIII:12, מָסְדִּים, pro *ruinis* inveniuntur. Sic etiam Maurer, Palmius, Hitzig et Umbreit. Ewald vero, Knobel et Drechsler, ut jam Vitringa, non diversum אֲשִׁישׁ habentes ab אֲשִׁישָׁה, verterunt *molas* coll. vs. 8, cuius nominis plurativus numerus etiam Hosea III:1, est אֲשִׁישִׁם. Erant molae, quas parare ex uvis passis in certam formam constipatis solebant, et quibus cupediarum instar utebantur, quasque in sacrificiis idolorum offerebant. Prouti c. XV:6, 7, defectum aquae descriperat, et pascorum interitum, ita nunc vini vinearumque culturam brevi interitum monet Propheta, in totius Moabitidis depopulatione.

In verbis אַדְנָכָאִים, *prorsus percussi sunt*, נָקָה proprie notat *non nisi, tantummodo*, ita ut nil non percussum supersit, ut nullum spatium alii rei supermaneat, Deut. XVI:15, Ps. LXXIII:1, 13, Jes. XIX:11. נָכָאִים vero plerumque a נָקָה *afflictus* derivatur, quod נָכָא scribitur Prov. XV:13, XVII:22, prouti et h. l. quidam codd. habent נָכָאִים Hitzig tamen derivat a נָקָה *percussus*, cf. c. XLVI:2. Palmius, Knobel aliique haec conjungunt per appositionem cum אֲשִׁישִׁים Melius refertur ad Moabitas, ita ut supplere possis, רֹוח.

1) *Jesaias, nicht Pseudo-Jes.* p. 216. not.

et ita fere Drechsler, Rosenmüller, Gesenius, Meier. Sic verba effectum indicant, quem vinearum corruptio habuerit in animos Moabitarum. Pergit vero vates in eadem descriptione.

Vs. 8. **שָׁרְמֹת**, *arva h. l. de vineis, coll. Deut. XXXII: 32*, dicuntur. Conjungitur vero cum verbo numero singulari, ut Habac. III: 17, quare Meier putat esse formam abstractam singularem. Proprie vero derivatur a **שָׁרֵם** *circumcludere*, et significat igitur id, quod finibus circumdatum, inclusum est.

**בָּעֵל גּוֹיִם הַלְמֹד** Majorem difficultatem habent verba **שְׁרוֹקִיהָ**, quae Vitringa, Lowth, Maurer, Hitzig, Hendewerk ita explicuerunt, ut generosae palmites vitis inebriaverint dominos gentium, idque probat quoque Knobel. Attamen Palmius, Ewald, Rosenmüller, Gesenius ita explicit, ut *domini gentium* sit subjectum, *palmites* vero objectum, atque verbum **הַלְמָד** *contundendi, vastandi* significatione sumatur. Prioris interpretationis argumentum inde petunt, quod verbum **הַלְמָד** apud Jes. c. XXVIII: 1, etiam sensu inebriandi occurrat, ubi tamen **הַלְוִימִי יְיֻן** proprie *percussi vino* sunt, deinde putant ad laudem vini dictum esse, illud reges inebriare, Gen. XLIX: 20, adeoque h. l. sermonem esse de vino praestantissimo, quo in primis reges uterentur; Meier tamen recte monet, **שְׁרוֹקָן** non significare uvas ipsas, sed ramos, de quibus tantum dici potuit illos se extendere usque ad Jaëzer, quiique tamen neminem inebriare possunt. Principes praeterea Moabitarum, qui ne soli quidem illud vinum bibebant, non commode **בָּעֵל גּוֹיִם** posse vocari.

Eandem imaginem nunc Propheta persequens, vini culturam et mercaturam vini florentem, magnae vitis late se extendentis imagine describit, quae excidetur. Ejus rami **תְּעֵוֹן errabunt** per desertum, scil. Arabiae, nam nihil habebunt rami, quo adhaerere possint. **נַטְשׁו** vero, ut Rosenmüller recte monere videtur, vertendum est *diffusae sunt*, quod melius hoc loco de *propaginibus* dicitur, quam *derelictae sunt*, vid. 2 Sam. V: 18, 22.

**יָם עֲבָרוֹן**; *transeunt mare* i. e., ex Meieri, Hendewerkii, Gesenii, Drechsleri opinione, mare mortuum, ut Ps. LXXX: 17 **םִם** mare mediterraneum significatur; Vitrunga et Rosenmüller vero putant significari mare prope Jaëzer, quia Jeremia, c. XLVIII: 32, diserte nominavit **יָם עַזְרָה**.

Vs. 9. Ob hanc cladem vinearum irreparabilem lugere pergit Propheta **בְּבָכִי יְעֹזֶר**, *cum fletu Jaëzeris* i. e. eodem fletu, quo deplorat interitum Jaezer urbis, nunc deplorat vitem Sibmae. Kimchius tamen **בְּבָכִי** vult repetere et explicat: fleo simul cum civibus Jaëzeris. Ipsa magnitudo luctus ostendit magnitudinem cladis, de qua evitanda amplius sermo non est, quam tantum deplorare Propheta potest. Verbum **אָרַיוֹן** est pro: **אָרַיוֹן** fut. piēl a **רֹוחַ**, *irrigavit*, cf. Jer. XXXI: 14. In sequentibus **קִצְרָה** dicitur de messe pomorum et fructuum, quae tempore auctumnali locum habet, c. XXVIII: 4, et hinc de ipsis fructibus, in primis de ficubus, 2 Sam. XVI: 1, Amos VIII: 1, 2, usurpat. Hoc loco opponitur verbo **קִצְרָה**, pro quo Jeremia, XLVIII: 32, habet **בְּצִיר** *vindemia*. Est messis frumenti, quae tempore vernali instituitur. Nomen **חִידָּה** *jubilum* indicat, idque Hebraei usurpant et de jubilatione vindemia-

torum, Jer. XLVIII:33, XXV:30, et de clamoribus militum post victoriam, Jer. LI:14. Recte Vitrunga locum exposuit, quem sequitur Gesenius: „Quo tempore exspectaveras futurum esse, ut vindemiatores tui pro more laetis acclamationibus collecturi essent optatos fructus lectissimarum vitium; res longe aliter cecidit. Venerunt enim eo ipso tempore hostes, qui diripientes et conculcantes speratos praestantissimi generis fructus, aliud tibi longe accinuerunt **הַיְדָר**, alterius longe exclamationis genus. Ergo **הַיְדָר** irruit in aestivos *fructus* tuos messemque tuam, idem est, ac si dixisset, irruisse hostes direpturos, omnia conculcaturos, vastaturos.” Lusit igitur in ancipiti significacione verbi **הַיְדָר**, nec est cur cum Lowthio et Dathio legamus **שְׁדָר**, *vastator*, quod habetur Jer. XLVIII:32. Ceterum alii, uti Palmius, explicant *jubilatio cecidit*, i. e. *cessavit in vindemia tua et messe tua*, quod verbis minus congruit.

Vs. 10. Magnitudinem cladis exprimit, ea ipsa laetitiae florentisque vini culturae signa in memoriam revocans, quae nunc cessant. **וּנְאָסָף**, et colligetur, i. e. auferetur, quo verbo utens Propheta fortasse cogitavit de fructibus in messe colligendis et auferendis; Jeremias, XLVIII:33, forma feminina utitur, de masculina vero vid. Roordae Gramm. § 588. **יָרֵן** est species pual verbi **רָנֵן**, *jubilare*, sed **יָרֵעַ** referendum ad **רָעָע**, alii tamen a **רָעָע** derivant.

**בִּיקְבִּים**, *vinum in torcularibus* non erit tum, uti antea, quum vineae florerent. Uvas enim **לֹא-יָרֶךְ הַרְדֵּךְ**, *non calcabit qui vinum calcat*. Ut Hendewerk monet, ita loqui solent Hebraei, ut verbum cum suo participio jungant, vid. e. c. **שָׁמַע הַשְׁמַע** i. e. *auditur*.

Vs. 11. Recordatio ejus quod fuit, quodque nunc non erit amplius, denuo summa tristitia Prophetae animum perfundit, ita ut intus se affectum sentiat dolore simul et misericordia.

Nominat **כַּעַד**, *viscera mea*, ut Job XXX:27, Jer. IV:19, XXXI:20, Thren. I:20, II:11, Jes. LXIII:15. Chaldaeus vero vertit: *Propterea viscera Moabitarum tanquam cithara sonabunt*, cf. c. XV:5. Ut cor, sive pectus dolore vel gaudio affici dicitur, ita quoque viscera, qua in re saepius utuntur verbo **הַמָּה**, quod, proprie *fremuit* notans, tum de surdo gravique murmure nonnullorum animalium Jes. LIX:11, Ezech. VII:16, fluctuum, Jes. LI:15, magnaenque hominum multitudinis, Ps. XLVI:7, Jes. XXII:2, tum de susurro intestinorum, et hinc de animo quoque inquieto affectibusque agitato usurpatum, Ps. XLII:6, 12, Jer. IV:19<sup>1)</sup>). Sic hoc quoque loco utraque notio conjungitur. Jerem. XLVIII:36, propterea notio nem soni gravioris luctus et doloris amplexus pro cithara posuit tibiam, quae lugentem sonum edat. Hoc vero loco **כְּנָזֶר** nominatur, quia, ut Gesenius et Hitzig monent, chordae ejus manu tactae fremunt, uti dolore et misericordia fremunt viscera.

Vs. 12. Denique Propheta id addit, quod gravissimum, hanc nimirum cladem esse inevitabilem, frustraque omnia tentaturos Moabitas, ut eam avertant. Sic simul reddit eo, unda progressa fuit oratio, cf. XV:2, ad auxilium frustra a diis petitum, quod certe in calamitatibus est gravissi-

1) Cf. GESENIUS in *Thes.* p. 384.

mum, ut Hendewerk monet. Sic redire Prophetam ad ea, a quibus incepit, animadverterunt quoque Hitzig, Knobel, Drechsler, Meier, idque saepius apud Jesaiam invenitur. Ewald tamen hunc locum aliter intelligit, putans Moabitas, quum frustra a suis diis auxilium petiissent, venturos ad verum Deum, ut illum venerarentur, sed frustra, et quum apodosis videatur deesse, conjicit verba ex Jes. XLVIII : 13, huc transponenda וּבֹשׂ מִזְאָב מִכְמֹשֶׁן. Drechsler tamen hoc improbans, peculiarem in hac abrupta oratione vim esse existimat. Et ipsa verba Ewaldo obstare videntur: pronomen enim in מִקְרָשׁ non nisi ad Moabum referri potest, cum mentio Dei nulla praecedat, מִקְרָשׁ, vero est omnis locus sacer, etiam idolis sacratus, Amos VII : 9, et verbum הַתְּפִילָל, rarius quidem, sed tamen etiam de precibus ad idola usurpatum, Jes. XLIV : 17, XLV : 20. Possumus vero cum Gesenio, Maurero, Palmino aliisque verba וְלֹא יַכְלֵל tanquam apodosin considerare.

Verbum נָרָא dicitur, ut c. I : 12, Exod. XXIII : 15, de homine ad Deum accidente, qui videtur, comparet coram Deo, נָלָא vero de eo, qui frusta laborando se defatigavit; plurimi interpretes hoc loco cogitant de molestis ceremoniis in cultu idolorum e. c. 1 Reg. XVIII : 26 sqq., quod tamen displicet Hendewerkio, qui inde explicat defatigationem, quia omnia frusta sunt. Potius de saepius repetita locorum sacrorum aditione ad preces repetendas intelligerem.

בָּמָה, Vitrunga monet, Prophetam fortasse ararum altitudinem respexisse, quum ait, Moabitas *se conspiciendos datus super aras*, sed הַבָּמָה est collis, locus editus, ubi sacrificare solebant.

Vs. 13. Hic et sequens versus continent Epilogum, quem Propheta postea addidit, quum jam id, quod de clade Moabitica praedixerat, intra breve tempus eventurum esset. Antea, מַעַן, cf. 2 Sam. XV : 34, tale exitium Moabitis denuntiaverat, quod nimirum praecedenti oraculo continetur, ad quod respicit per verba זה הָרָבֶר, *hoc ipsum verbum.* Drechsler quidem censet, potius ea referenda esse ad antiquiora oracula de Moabitis, quae et in Pentateucho, Num. XXIV : 17, occurrunt, et alibi, Ps. LX : 10, LXXXIII : 7, Amos II : 1 repetuntur, sed ei obstare videtur cum pron. dem. זה, quod ad ea, quae proxime praecedunt, respiciens, vix referri possit ad ea, quae ne indicata quidem sunt in superioribus, *tum* oppositio inter עֲתָה מַעַן et עֲתָה, quippe quae indicet, priora *antea*, sequentia *postea* prolata esse, atque adeo praecedens oraculum et sequentem epilogum sibi opponi.

**בְּשָׁלַשׁ שָׁנִים בְּשָׁנִי**  
**שְׁבִיר**, *intra tres annos, ut sunt anni mercenarii,* conf. XXI : 16. Indicat ita Propheta tres annos recte computatos, tempus certum et praefixum; ut enim mercenarius tempus computat, quo peracto, mercedem accipiat, ita nunc tempus cladis praestitutum est. Minus recte igitur alii haec de brevi tempore indefinite acceperunt. Non vero indicant, tertio demum anno finiente cladem venturam, sed intra tres annos, ut certe non diutius sit moratura. In sequentibus Propheta sibi opponit נִקְלָה et **בְּכֹד**, ut III : 5, *levis fiet proprie gravitas*, felicitas Moabi, qua nunc Moabitae populi numero et opibus et mercatura florent, idque quod reliquum erit, parvum erit, superstites erunt

pauci numero et tenues viribus atque pauperes opibus. Ut jam diximus ante, non habemus apud historicos huius eventus descriptionem, sed probabiliter tempore Sanheribi Moabitas aggressi sunt Assyrii. Funditus tum quidem populus deletus non fuit, nec adeo terra sua expulsus, uti jam Jesaias hoc versu subindicarat; fortasse adeo ne tanta quidem clades, quanta exspectari potuisset, quod videtur patere ex repetitione oraculi a Jeremia facta. Sed Propheta totam futuram sortem Moabitarum uno oraculo complexus fuit, quae certe intra praefinitum tempus praeparari coepit, deinde vero ita evenit, ut ne nomen quidem gentis superfuerit, uti recte animadvertis Drechslerus, cf. Zeph. II : 8—11.

Pro viribus, quae de hoc oraculo monenda erant, collegimus, nec tamen discedere ab hoc argumento possumus, antequam animadverterimus artem, qua compositum sit, eiusque peculiarem pulchritudinem, in primis cum non defuerint, qui hanc illi deesse contenderent.

Primum igitur observamus, scriptorem nos statim summa vi in medias res rapere. Paucis gravibusque verbis totam cladem Moabitarum, ex improviso, noctu ingruentem, indicat; metropolis et arx regionis captae sunt et deletae, XVI : 1. Quid nunc facient aliorum locorum incolae, quae certe similiter munita non erant? Summa trepidatione illi, quibus hostes in primis imminent, ad loca sacra tendunt, deos suos invocant, ejulant, omnibusque locis, domi et foras, tristitiam suam et desperationem ostendunt; nullus locus querelis vacat, ita nemo est, cui

supersit animus. Porro artificiose Propheta diversorum  
 locorum mentionem, **רְחִבּוֹת נָגוֹת** et conjungit  
 cum descriptione variorum signorum luctus, tristitiae, de-  
 sperationis, qualia illa apud omnes incolas, pro diversitate  
 sexus, aetatis, affectuum animadvertebantur. Deos adibant  
 alii flentes, sacco se cingebant alii, radebant caput, vel-  
 lebant barbam, clamabant et vociferabantur alii, ipsi, qui  
 patriam tueri potuissent, tristes erant, verbo omnes, to-  
 tus adeo populus, ejulabant, nec hoc uno loco, sed per  
 omnes regionis urbes et vicos eodem modo. Profecto  
 gravius describi clades non potuit, quam si ita indicare-  
 tur eius effectus in incolarum animos. Hinc dicere jure  
 potuit scriptor **לֶבַי לְמוֹאָב יִזְעַק**, nec tamen hac in re  
 substiterunt incolae. Trepidi jam omnes aufugiunt meri-  
 diem versus, clamantes et ejulantes propter patriae suae  
 sortem, illorum instar, qui ruinosam domum tristes et  
 pavidi relinquunt. Et certe, quae nunc aquâ et pascuis  
 florent loca, deserta fient, eaque non ad breve tempus,  
 mox reversuri, relinquunt, sed omni spe redeundi caren-  
 tes, cum omnibus quae asportari queant. Sic Propheta  
 denuo cumulat verba, quibus fugam illam describit. Vi-  
 demus quasi eos, qui e regionibus trans Arnonem sitis  
 profugi, ne intra Moabitidis fines quidem subsistere au-  
 dent, sed sua secum asportantes, cum lamentatione et  
 ejulatione progrediuntur ad Zoar, terram suam plane  
 vastatam relinquentes, et mox ad Edomitas aufugiunt.  
 Et sane hic metus non vanus, haec trepidatio non erat  
 sine causa; etenim jam aquae Dibonis sanguine interfecto-  
 rum rubebant, atque hoc tantum initium erat judicii di-  
 vini, quod iis imminebat.

Praeterea in altera vaticinii parte summa arte causam huius judicij Propheta indicat. Quid facient illi profugi? Quid aliud, quam ut auxilium petant a Judaeis, et ita quidem, ut, antiquam societatem renovantes, tributum mittant, seque tributarios agnoscant. Poterant sane nunc illud facere, ipsi finibus suis expulsi et extorres, avis fugatae instar; sed quid fecerant ante, cum adhuc ipsi, rebus florentibus, alios, ipsos etiam Judaeos, superbe contemserant? Aliquando hi et ipsi a Moabitis auxilium petiverant, cum dignitate locuti erant, non submisso nec humiliiter, sed quasi ad tempus tantum humanitatis officia implorantes, sed certâ simul fiduciâ ducti eorum promisorum, quae de regni restitutione et felicitate a Deo acceperant. Summa arte sic Propheta Judaeus, Moabitis gravissimam poenam denuntians, his minis inseruit futurae sui populi restitutionis spes, opposuitque brevem et praetereuntem Judaeorum cladem, quae certam restitutionis spem minuere non poterat, desperationi, luctui et ejulationi Moabitarum, quibus nulla jam supererat futurae felicitatis exspectatio. — Sed Moabitae, licet sic simul iis in memoriam revocata essent promissa, Judaeis divinitus facta, nihilo minus superbe tum omne auxilium negaverant. Urget Propheta hanc superbiam, XVI:6, eamque indicat tanquam rem omnibus notissimam, quia in ea sita erat causa judicij divini in Moabitas, quatenus odium sic apparuerat, quo in Judaeos ducebantur. Propterea, i. e. ob hanc ipsam superbiam nunc ejulat Moab, inquit, propterea nunc vastatae vineae, cf. Zeph. II:10.

Tertia denique stropha carminis felicem vinearum et agriculturae conditionem, quae olim fuit, praesenti de-

vastationi opponit. Vindemiatorum et messorum cantum et laetam jubilationem, quibus antea undique omnia resonabant, cessabunt, ita ut nullis locis, nec in vineis, nec in agris, nullo tempore, nec vere, nec autumnali, amplius audiatur; sed audietur barritus hostium, caedem et depraedationem minatus. Non mirum igitur, denuo misericordia affici Prophetam, eo majori, quo magis omnia tentat Moab ad effugiendum periculum, — sed frustra!

Sic in toto carmine summa animadvertisit unitas, omnia optime cohaerent, omnia eo spectant, ut clades gravissima Moabitarum describatur, causa eius indicetur, effectus demonstretur. Nec de concinnitate, nec de verborum nimia repetitione, nec de mala membrorum conjunctione sermo esse potest. E contrario cum arte omnia sic disposuit scriptor, ut et gravitatem et amplitudinem et certitudinem cladis imminentis ostenderet, eamque tristissimam quidem et miserrimam, sed tamen odio in Judaeos bene meritam probaret.



## QUAESTIONES.

---

### I.

Capita XV et XVI vaticiniorum Jesaiae huic scriptori non sunt abjudicanda.

### II.

Cap. XVI sect. 1 lectio נ retinenda est et accipienda de tributo debito.

### III.

Eglath-Schelischya c. XV: 5 est nomen proprium.

### IV.

Jesaiae cap. XI, sectt. 1—5, ad Messiam snnt referendae.

### V.

Critica interna, licet magni facienda, tamen externae est postponenda.

## VI.

Johannis Epist. I, cap. V: 20, *οὗτος* ad proxime praecedens Ἰησοῦ Χριστῷ referri debet.

## VII.

Non probanda est eorum sententia, qui Epist. ad Rom. IX: 5<sup>b</sup> *doxologiam* invenisse sibi videntur.

## VIII.

Sacra scriptura dici potest et verbum Dei et verbum Dei dici potest sacra scriptura contineri.

## IX.

Doctrina Anselmiana de satisfactione Christi partim est laudanda, partim vituperanda.

## X.

Nonnullorum opinio de Jesaia, a rege Manasse crudeliter imperfecto, improbanda videtur.

## XI.

Quidquid Christianis inest animi emendati, Spiritui Sancto attribuendum est.

## XII.

Errant qui Deum fingunt ita hominum animos afficien-tem, ut ingenii animique vires, naturae humanae propriae, nihil omnino valeant.

## XIII.

Errant etiam qui, nimium adminiculo doctrinae Christianae attribuentes, omnem hac in re Spiritus Sancti opem excludunt.

## XIV.

Religionem Christianam per omne aevum vim suam et efficacitatem ostendisse, contendimus.

## XV.

Ethices Christianae fundamentum est Theologia Christiana dogmatica.

## XVI.

Ceteris orationum sacrarum habendarum generibus analytico-syntheticum praferendum est, nec tamen semper adhibendum.

1129  
In the middle of the day, when the sun was at its height, he said to his  
servants, "I am very thirsty."

"Let us find some water," they said, "so that we may quench our  
thirst."

"There is no water here," he said, "but there is a well near  
the town. Go and bring me some water."

"There is no water here," he said again, "but there is a well near  
the town. Go and bring me some water."